VIA FRANCISCANA AD COELESTE HIERUSALEM CONTINENS...

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
42
5 A
25

VIA
FRANCISCANA
Ad Cœleſte
HIERUSALEM
Continens
Hiſtoricam narrationem
De initio & progreſſu Ordinis
SERAPHICI PATRIS
S. FRANCISCI,
Ejuſdémque
S. REGULAM
ET TESTAMENTUM,
una cum
Selectiſſimis precibus, Litanijs, Officicijs, & Appendice diverſorum,
FRANCISCANIS VIATORIbus pro quotidiano uſu, ac Devotione accomodata.
Cum Licentia Superiorum.

PASSAVII,
Typis, Georgij Adami Höller, 1695.

Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. *Pſalm.* 24.

Non enim habemus hîc manentem civitatem, ſed futuram inquirimus. *Ad Hebr.c.*13.

Via eſt vita præſens, quâ ad patriam pergimus, & idcirco hîc occulto judicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. *Greg. in Mor.*

M A G N O

Prodigio Naturæ,
Portento Gratiæ,
Miraculo Sanctitatis,

PATRI FRANCISCO
ASSISIATI

Viro Seraphico,
Catholico,
Apoſtolico,
Celſâ humilitate
Conſpicuo,
Chriſtiani Orbis
Fu'cimento,
Eccleſiæ Reparatori.

Corpori
Nec
Viventi,
Nec
Mortuo.
Chriſti Crucifixi,
Plagarú, Clavorúmq; Inſignib9
Admirando,
Ante
Obitum mortuo,
poſt
Obitum Vivo,
Creato
Ab
Æterno Patre
Ad
Imaginem Filij,
Sigillato
A
Filio Unigenito
In
Simulacrum Sui,

In-

Inflammato
A
Spiritu Sancto
In
Speciem Seraphini,
Fabricato
A
Sacratiſſima Triade
In Arcam
Divinæ Reconciliationis,
Homini
Non ab Humo,
Sed
A Cœlo dato.
Ampliſſimorum
Trium Ordinum
Fratrum Minorum,
Pauperum Virginum
Et
Pœnitentium
Magno Patriarchæ,
Pauperi, Diviti,
Omnibus omnia facto.

Unius Mundi labentis
Atlanti,
Virtutum Architecto,
Miraculorum Thavmaturgo.
Copiæ,
Et
Exemplari Vitæ.
Fide Patriarchæ,
Spiritu Prophetæ,
Vitâ Apoſtolo,
Martyri Plagato,
Doctori Gratiæ,
Pietate Confeſſori,
Et
Puritate Virgini.
Orienti in Mundum Phoſphoro,
Occidenti in Cœlum Heſpero,
In
Thronum Gloriæ
Altiùs Sublimato.
In
Reverentiæ Filialis
Sym-

Symbolum,
Pietatis Teſtimonium,
Nec non
Virtutum Incrementum
Hanc
Ad Cœleſte
HIERUSALEM
Viam Franciſcanam
Minorum Minimi,
Filiorum ſuorum Indigniſſimi
Et
Patrocinio ſuo maximè Indigi
Dicant, Dedicant,
Conſecrántque

FF. Min. C.P.

Conviatori Salutem.

L*ibellum hunc* Viæ Franciſcanæ, *iteratò editum, parvum quidem mole, at magnum Regularis noſtri Inſtituti dignitate, nec minorem Orationum efficaciâ, tuo,* Devote Conviator, *aſpectui, tuo affectui duximus præſentandum, aliorum quidem labore induſtriosè comparatum, novâ tamen noſtri curâ (quibusdam, prout nobis quotidiano uſui magis expedire Viſum fuerat, immutatis) prælo ſubjectum: Tu ijs ita utere, ut ſpiritualem guſtans ſuavitatem, curras per hanc Viam ad* Cœleſte Hieruſalem, *unam, unam, quam ſuſpiramus, Patriam, poſt exantlatos ærumnoſi itineris labores æternæ* Gloriæ *bravîum æternò felix conſecuturus:* Sic currite, ut comprehendatis. *1. Cor. 9.*

In-

Ingreſſus Viæ Franciſcanæ *De* Initio & progreſſu Ordinis Seraphici Patris S. FRANCISCI.

GLorioſus Chriſti Confeſſor Seraphicus Pater S. Franciſcus jecit fundamenta Ordinis Fratrum Minorum (ſic enim Fratres Ordinis Sui compellari voluit) Anno reparatæ Salutis 1206. Primus verò Religionis inchoatæ dici poteſt añus 1210. quo nimirum ejus Regula fuit ab Innocentio III. Vivæ vocis Oraculo approbata ; quamvis

primùm anno 1223. ab Honorio III. fuerit ſcripto confirmata: pro ſymbolo ſpeciali ſui Ordinis delegit B. Pater Altiſſimam Paupertatem; quæ ſcilicet excluderet omnem rerum temporalium proprietatem, non tantùm à Fratribus in particulari (quod omnibus Religioſorum Ordinibus competit) ſed etiam in communi à toto Ordine ſimul ſumpto, quod ante hac in Eccleſia Sancta Dei poſt BB. Apoſtolos auditum non fuit: *Hæc eſt illa Celſitudo Altiſſimæ Paupertatis* (ſunt verba Reg. c. 6.) *quæ Vos Chariſſimos Fratres meos hæredes & Reges Regni Cælorum inſtituit, pauperes rebus fecit, Virtutibus ſublimavit: Hæc ſit Portio veſtra, quæ perducit in terram Viventium.*

Erat

Erat autem inter primos B. Patris Diſcipulos F. Elias à Cortona, Vir mundanâ Sapientiâ pollens, ideoque Principibus hujus ſæculi perquàm familiaris & charus. Is poſt B. Patris tranſitum, qui in diem 4. Octobris anno 1226. incidit, in Miniſtrum Ordinis Generalem electus, allegata impoſſibilitate ſervandi Regulam à B. Franciſco traditam, impetravit à ſede Apoſtolica tanti rigoris relaxationem, præcipuè circa res pecuniarias. Ex adverſo inſurrexerunt Regulæ Zelatores, quorum ferventiſſimus Thavmaturgus noſter S. Antonius de Padua ei in faciem reſtitit, & apud ſummum Pontificem Gregorium IX. tantum effecit, ut F. Eliam ab Officio amoverit:

Interim tamen F.Eliæ ſequaces, Divinam Providentiam humana puſillanimitate metientes, introductam relaxationem non dimiſerunt, ſed potiùs adhuc alia Privilegia relaxativa impetrârunt, quale eſt illud Clem. IV. anno 1265. conceſſum, *quòd in temporalibus bonis, in quibus ſuccederent in ſæculo exiſtentes, licitè poßint ſuccedere, & bonorum ipſorum Poſſeßionem apprehendere, ac Vendere liberè bona ipſa, eorumq́; pretium in utilitatem ſuam convertere, prout ipſis meliùs videbitur expedire*: Cui utique cum Corpore Religionis non conſenſit S. Bonaventura tunc Ordinis Miniſter Generalis, ut qui Regulam in ſua puritate ſervavit, & ſervari curavit.

Promiſſum námque fuit B. Patri

Patri à Chriſto Jesu, nunquam deſuturos Veros ejus Regulæ Obſervatores, & ideo Religio talibus ſemper abundavit: In his proinde, tanquam in pretioſiori parte Corporis Regularis, conſervabatur ſpiritus S. Franciſci, & gliſcebat ſemper deſiderium, vel puram Regulæ ſine privilegijs obſervantiam in Ordine redintegrandi, vel ſeſe à Communitate ſequeſtrandi. Tales extiterunt F. Cæſarius de Spira Germanus, & ab eo dicti Cæſareni anno 1244. iterumq; alij dicti Clareni anno 1294. F. Joannes de Vallibus cum ſuis anno 1334. F. Gentilis de Spoleto cum ſuis año 1350. unde etiam ortum, quòd illi, qui in Communitate & Monaſterijs formalibus habitabant, appellarentur

Conventuales, ad diſtinctionem eorum, qui ſequeſtrati in locis anguſtis & Solitarijs degentes, Conventum ſive Collegium ob ſui paucitatem non faciebant, & *fratres de familia* vocabantur. Sed eorum Conatus variè diverſis temporibus ſunt repreſſi à metuentibus ſciſſuram Ordinis, uſq; dum Clementiſſimus Deus eis oſtenderet viam & virum huic operi deſtinatum.

Igitur F. Paulus de Trincis, Illuſtri Trinciorum ſtemmate ex Germania in Italiam translato in civitate Fulginij natus, ob ſtaturæ humilitatem Paulutius (diminutivo Italico) de Fulginio dictus, Religionem S. Franciſci ingreſſus eſt anno 1323. ætatis ſuæ 14. Is ex doctrina ſui Magiſtri P. Joannis de Vallibus

Zelo

Zelo paupertatis & obſervantiæ Regularis accenſus impetravit anno 1368. à Miniſtro Generali locum quendam, Bruliani dictum, ab hominum converſatione remotum & ſitu aſperum, ut in eo cum quibusdam ſocijs ducere poſſet vitam ſolitariam, voluntatique & Regulæ S. Franciſci conformem, addita etiam facultate plures ad ſui conſortium ſuſcipiendi.

Quo comperto accurrerunt ſtatim undique Fratres Regulæ fideliter obſervandæ cupidi, ſuoque exemplo plurimos excitaverunt in Italia, Gallia & Hiſpania; quapropter accedentibus paulatim pluribus Cœnobiolis brevì cum Dei Benedictione in famoſum ſodalitium excreverunt & floruerunt; ita, ut jam

com-

communiter appellarentur Fratres de obſervantia, & præter Vicarios Provinciales, quibus immediatè ſuberant, pro ſui proprio regimine obtiniuerint Vicarium Generalem; primò quidem ex Decreto S. Concilij Conſtantienſis anno 1415. pro Gallia; deinde alium etiam pro Italia & Ciſmontanis partibus ex mandato D. Eugenij IV. qui denique anno 1446. gravi edita Conſtitutione eis conceſſit liberam electionem à Miniſtro Generali independentem, ſed tamen ab eo confirmandam, ut hac ratione Ordo maneret unus ſub uno Superiore Generali, partim immediatè, partim mediantibus duobus ejus Vicarijs Generalibus: exinde ipſis Vicariorum regimini ſubjectis, tan-

quam

quam Regulam in ſua puritate obſervantibus ſtabilitum fuit nomen *Fratrum de Obſervantia*; & alijs ſub obedientia Miniſtrorum conſtitutis manſit appropriatum nomen *Conventualium*. Primus itaque Vicarius Generalis Fratrum de Obſervantia in Italia & partibus Ciſmontanis anno 1438. inſtitutus eſt S. Bernardinus Senenſis: deinde anno 1443. S. Joannes à Capiſtrano: horum utique potiſſimùm operâ, Sanctitate & auctoritate vires acquiſivit Regularis Obſervantia, & ſe longè lateque diffundere cœpit, ita, ut tempore Julij II. anno 1509. jam numeraret Provincias 45. Conventus 1250. Fratres 30800. id eſt, trigieſies mille & octingentos.

Tan-

Tandem Cœlitùs dato Incremento permotus Summus Pontifex Leo X. inſtantibus etiam Maximiliano Imperatore & omnibus fermè Chriſtianitatis Regibus atque Principibus, Civitatibus & Communitatibus, ut Ordinem S. Franciſci, ſuæ tranquillitati & integritati reſtitueret, Capitulum Generaliſſimum Romæ in Conventu de Ara Cœli ad annum 1517. indixit; in quo cùm Patres Conventuales Privilegiis relaxativis renuntiare nollent, ipſe ſpiritu Sancto aſſiſtente omnes Fratres Regulam S. Franciſci in ſua puritate obſervantes in unum corpus ſub nomine *Regularis Obſervantiæ* adunavit; ex eis Miniſtrum Generalem totius Ordinis Minorum eligi ſtatuit, eique ſic electo

cto Sigillum Ordinis antiquum tanquam legitimo ſucceſſori S. Franciſci tradi mandavit: Fratribus verò Conventual bus in aliud Corpus ſeparatis Privilegia relaxativa cum redditibus & bonis temporalibus confirmavit; aliâ, eâque limitata Regulam profitendi formâ præſcriptâ, & Superiorem proprium cum titulo Magiſtri Generalis eligendum, à Miniſtro autem Generali totius Ordinis confirmandum conceſſit: Sicque emersêre duo diſtincti Ordines.

Demum anno circiter 1526. quidam hujus Regularis Obſervantiæ Patres Duce P. Matthæo de Baſſo (prout tunc licitum erat) ad Patres Conventuales tranſierunt, eorumque Ordini incorporati ſunt, deſiderantes

vitam Eremiticam ducere, & hoc modo Regulam S. Franciſci obſervare: Pater Matthæus quidem ad obedientiam Regularis Obſervantiæ reverſus, in eadem Vitam piiſſimè finivit, Venetiis in Eccleſia Conventûs vinearum ſepultus; ſed ejus ſocij in propoſito perſiſtentes à Clem. VII. anno 1528. die 3. Julij obtinuerunt Bullam Apoſtolicam cum plena & libera facultate, ut poſſint *ſecundùm Regulam prædictam Vitam Eremiticam ducere: habitum cum Capucio quadrato geſtare: alios ad ſuum conſortium recipere, barbam deferre &c.* Sic à Patribus Conventualibus egreſſi multiplicari fructuosè cœperunt, & demum à Paulo III. in nova Conſtitutione año 1536. appellati ſunt *Capucini.*

Itá-

Itáque ſub Regula S. Franciſci jam tres militant diſtincti Ordines, nempe, Fratrum Minorum Capucinorum; Fratrum Minorum Conventualium, & Fratrum Minorum de Obſervantia (qui Vulgò Franciſcani Diſcalceati ſeu Nudipedes appellantur) cum ſuis Congregationibus Reformatis: Horum Miniſter Generalis, ut dictum, tenet antiquum Ordinis Sigillum cum titulo Miniſtri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, eiqúe juxta præceptum Regulæ obediunt omnes S. Franciſci Regulam abſolutè profitentes, præter Capucinos, ex Indulto S. Sedis Apoſtolicæ exemptos. Hæc ejus prærogativa fuit quidem ab anno 1625. per ſex ferme annos impugnata; ſed Ad-

ver-

verſariorum Supplicatione per Sanctiſſimum ad Sacram Rituum Congregationem remiſſa; ibi formato dubio de conſenſu partium, ac causâ in plena Congregatione acerrimè diſcuſsâ, tandem S. Congregatio Reſpondit; *nihil eſſe innovandum, & Miniſtrum Generalem de Obſervantia legitimè uſum fuiſſe, & uti poſſe, titulo & Sigillo cum inſcriptione Miniſtri Generalis totius Ordinis FF. Min. & ita ſervari mandavit die 22. Martij anno 1631.* Idque jure merito, quia ipſe continua & non interrupta ſerie à S. Franciſco deſcendit; & ipſi *Fratres de Obſervantia & Reformati* (ut in Conſtitutione *Licet aliàs &c.* declarat & loquitur Leo X.) *Veri & indubitati Fratres Ordinis S. Franciſci & ejus Regulæ Obſervato-*

res

*es ſemper fuerunt, ac Divina fa-
ente Gratia ſunt futuri, ſine ali-
ua interruptione ſeu diviſione, à
mpore editæ Regulæ per B. Fran-
ſcum uſq; ad præſens.* Porro hæc
ſt, quam, Chriſto ſibi revelan-
e, & verbo docuît & exemplo

REGULA
Seraphici Patris noſtri
. FRANCISCI.

Incipit Confirmatio
D. PAPÆ HONORIJ III.
uper Regulam Fratrum Mi-norum.

HONORIUS Epiſcopus ſervus ſervorum DEI, dilectis filiis, Fratri Franciſco, & aliis Fra-
ibus de Ordine Fratrum Mi-
orum, ſalutem & Apoſtolicam
bene-

benedictionem. Solet annuere Sedes Apoſtolica piis votis, & honeſtis petentium deſideriis ſavorem benevolum impartiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris piis precibus inclinati, Ordinis veſtri Regulam à bonæ memoriæ Innocentio Papa Prædeceſſore noſtro approbatam, annotatam præſentibus, Auctoritate vobis Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, quæ talis eſt.

In Nomine Domini

Incipit Regula & Vita Fratrum Minorum

CAPITULUM I.

REgula, & vita Minorum Fratrum hæc eſt: ſcilicet, Domini noſtri Jesu Chriſti ſanctum Evangelium obſervare, vivendo

in obedientia, ſine proprio, & caſtitate. Frater Franciſcus
omittit obedientiam, & reve-
ntiam Domino Papæ Honorio,
ſucceſſoribus ejus canonicè
rantibus, & Eccleſiæ Roma-
. Et alij Fratres teneantur
atri Franciſco, & ejus ſucceſ-
ibus obedire.

his qui volunt vitam iſtam accipere, & qualiter recipi debeant.

C A P. I I.

I qui voluerint hanc vitam
accipere, & venerint ad Fra-
s noſtros, mittant eos ad ſuos
niſtros Provinciales, quibus
ammodò, & non aliis, reci-
ndi Fratres licentia conceda-
r. Miniſtri verò diligenter exa-
nent eos de fide Catholica,
le Eccleſiaſticis Sacramentis:

& ſi hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri, & uſque in finem firmiter obſervare; & uxores non habent; vel ſi habent, & jam Monaſterium intraverint uxores; vel licentiam eis dederint auctoritate Diœceſani Epiſcopi, voto continentiæ jam emiſſo; & illius ætatis ſint uxores, quòd de eis non poſſit oriri ſuſpicio: dicant eis verbum ſancti Evangelij, quòd vadant & vendant omnia ſua, & ea ſtudeant pauperibus erogare. Quod ſi facere non potuerint, ſufficit eis bona voluntas. Et caveant Fratres & eorum Miniſtri, ne ſoliciti ſint de rebus ſuis temporalibus, ut liberè faciant de rebus ſuis, quidquid Dominus inſpiraverit eis: ſi tamen conſilium requiratur, licentiam habeant

Mini-

Miniſtri mittendi eos ad aliquos Deum timentes quorum conſilio bona ſua pauperibus erogentur. Poſtea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas ſine capucio, & cingulum, & braccas, & caparonem uſque ad cingulum, niſi eiſdem Miniſtris aliud ſecundùm Deum aliquando videatur. Finito verò anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam iſtam ſemper & Regulam obſervare. Et nullo modo licebit eis de iſta Religione exire, juxta mandatum Domini Papæ: quia ſecundùm ſanctum Evangelium, *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* Et illi, qui jam promiſerunt obedientiam, habeant unam tunicam

cum capucio, & aliam ſine capucio, qui voluerint habere: Et qui neceſſitate coguntur, poſſint portare calceamenta. Et Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur, & poſſint ea repeciare de ſaccis, & aliis peciis, cum benedictione Dei. Quos moneo & exhortor, ne deſpiciant, neque judicent homines, quos viderint mollibus veſtimentis & coloratis indutos, uti cibis & potibus delicatis: ſed magis unuſquiſque judicet & deſpiciat ſemetipſum.

De Divino Officio, & jejunio: & quomodo Fratres debeant ire per mundum.

CAP. III.

Clerici faciant divinum Officium ſecundùm Ordinem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ,

ſiæ, excepto Pſalterio, ex quo habere poterunt Breviaria. Laici verò dicant viginti quatuor Pater noſter pro Matutino; pro Laudibus quinque; pro Prima, Tertia, Sexta, & Nona, pro qualibet iſtarum Horarum ſeptem; pro Veſperis autem duodecim: pro Completorio ſeptem, & orent pro defunctis. Et jejunent à Feſto omnium Sanctorum uſque ad Nativitatem Domini. Sanctam verò Quadrageſimam, quæ incipit ab Epiphania uſque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus ſuo ſancto jejunio conſecravit, qui voluntariè eam jejunant, benedicti ſint à Domino: & qui nolunt, non ſint adſtricti; ſed aliam uſque ad Reſurrectionem Domini jejunent. Aliis autem

temporibus non teneantur niſi ſexta Feria jejunare. Tempore verò manifeſtæ neceſſitatis, non teneantur Fratres jejunio corporali. Conſulo verò, moneo, & exhortor Fratres meos in Domino Jeſu Chriſto, ut quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent: ſed ſint mites, pacifici, modeſti, manſueti, & humiles, honeſtè loquentes omnibus ſicut decet. Et non debeant equitare, niſi manifeſta neceſſitate, vel infirmitate cogantur. In quamcumque domum intraverint, primùm dicant: Pax huic domui Et ſecundùm ſanctum Evangelium, de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare.

Quòd Fratres non recipiant pecuniam.

CAP. IV.

PRæcipio firmiter Fratribus univerſis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant, per ſe vel per interpoſitam perſonam. Tamen pro neceſſitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis, per amicos ſpirituales, Miniſtri tantùm, & Cuſtodes, ſolicitam curam gerant, ſecundùm loca, & tempora, & frigidas regiones, ſicut neceſſitati viderint expedire: eo ſemper ſalvo, ut (ſicut dictum eſt) denarios vel pecuniam non recipiant.

De modo laborandi.

CAP. V.

FRatres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, la-

borent fideliter & devotè, ita quòd excluſo otio, animæ inimico, ſanctæ orationis ac devotionis ſpiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deſervire. De mercede verò laboris, pro ſe, & ſuis Fratribus corporis neceſſaria recipiant, præter denarios vel pecuniam; & hoc humiliter, ſicut decet ſervos Dei; & paupertatis ſanctiſſimæ ſectatores.

Quòd Fratres nihil ſibi approprient: & de eleemoſyna petenda: & de Fratribus infirmis.

CAP. VI.

FRatres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locũ, nec aliquam rem, ſed tamquam peregrini & advenæ in hoc ſæculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant

pro

pro eleëmoſyna confidenter. Nec oportet eos verecundari; quia Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo. Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimos Fratres meos, heredes & Reges Regni cælorum inſtituit: pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimavit. Hæc ſit portio veſtra, quæ perducit in terram viventium. Cui, dilectiſſimi Fratres, totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti in perpetuum ſub cælo habere velitis. Et ubicumque ſunt, & ſe invenerint Fratres, oſtendant ſe domeſticos invicem inter ſe, & ſecurè manifeſtet unus alteri neceſſitatem ſuam: quia ſi mater nutrit & diligit filium ſuũ carnalem; quan-

tò diligentiùs debet quis diligeⷬre & nutrire Fratrem ſuum ſpiritualem? Et ſi quis eorum in infirmitatem ceciderit, alij Fratres debent ei ſervire, ſicut vellent ſibi ſerviri.

De pœnitentia Fratribus peccantibus imponenda.

CAP. VII.

SI qui Fratrum, inſtigante inimico, mortaliter peccaverint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, ut recurratur ad ſolos Miniſtros Provinciales, teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere, quàm citiùs poterunt ſine mora. Ipſi verò Miniſtri, ſi Presbyteri ſunt, cum miſericordia injungant illis pœnitentiam: ſi verò Presbyteri non ſunt, injungi faciant per alios Sacerdotes

Ordi-

Ordinis, ſicut eis ſecundùm Deum meliùs videbitur expedire. Et cavere debent, ne iraſcantur, & conturbentur propter peccatum alicujus, quia ira & conturbatio in ſe, & in aliis impediunt charitatem.

De electione Generalis Miniſtri hujus Fraternitatis, & de Capitulo Pentecoſtes.

CAP. VIII.

UNiverſi Fratres unum de Fratribus iſtius Religionis teneantur ſemper habere Generalem Miniſtrum, & ſervum totius Fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio ſucceſſoris fiat à Miniſtris Provincialibus & Cuſtodibus in Capitulo Pentecoſtes, in quo Provinciales Miniſtri teneantur ſemper in ſimul con-

convenire, ubicumque à Generali Miniſtro fuerit conſtitutum. Et hoc ſemel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem, vel minorem, ſicut à prædicto Miniſtro fuerit ordinatum. Et ſi aliquo tempore appareret univerſitati Miniſtrorum Provincialium, & Cuſtodum, prædictum Miniſtrum non eſſe ſufficientem ad ſervitium & communem utilitatem Fratrum; teneantur prædicti Fratres (quibus electio data eſt) in nomine Domini alium ſibi eligere in Cuſtodem. Poſt Capitulum verò Pentecoſtes Miniſtri & Cuſtodes poſſint ſinguli, ſi voluerint, & eis expedire videbitur, eodem anno in ſuis cuſtodiis ſemel Fratres ſuos ad Capitulum convocare.

De

De Prædicatoribus.

CAP. IX.

FRatres non prædicent in Epiſcopatu alicujus Epiſcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus Fratrum populo penitùs audeat prædicare, niſi à Miniſtro Generali hujus Fraternitatis fuerit examinatus & approbatus, & ab eo ſibi Officium prædicationis conceſſum. Moneo quoque & exhortor eoſdem Fratres, ut in prædicatione, quam faciunt, ſint examinata & caſta eorum eloquia, ad utilitatem & ædificationem populi, annuntiando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam, cum brevitate ſermonis, quia verbum abbreviatum fecit Dominus ſuper terram.

De admonitione & correctione Fratrum.

CAP. X.

FRatres, qui ſunt Miniſtri & ſervi aliorum Fratrum, viſitent & moneant Fratres ſuos, & humiliter & charitativè corrigant eos, non præcipientes eis aliquid, quod ſit contra animam ſuam, & Regulam noſtram. Fratres verò, qui ſunt ſubditi, recordentur, quòd propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter præcipio eis, ut obediant ſuis Miniſtris in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſervare, & non ſunt contraria animæ ſuæ, & Regulæ noſtræ. Et ubicumque ſunt Fratres, qui ſcirent & cognoſcerent, ſe non poſſe Regulam ſpiritualiter obſervare; ad ſuos Miniſtros debeant

beant, & poſſint recurrere. Miniſtri verò charitativè & benignè eos recipiant; & tantam familiaritatem habeant circa ipſos, ut dicere poſſint eis, & facere, ſicut Domini ſervis ſuis: nam ita debet eſſe, quòd Miniſtri ſint ſervi omnium Fratrum. Moneo verò & exhortor in Domino Jeſu Chriſto, ut caveant Fratres ab omni ſuperbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura & ſolicitudine hujus ſæculi, à detractione & murmuratione. Et non curent neſcientes litteras, litteras diſcere; ſed attendant, quòd ſuper omnia deſiderare debent, habere ſpiritum Domini, & ſanctam ejus operationem: orare ſemper ad Deum puro corde; & habere humilitatem & patientiá in perſecutione & in infirmitate;

te; & diligere eos, qui nos perſequuntur, reprehendunt & arguunt; quia dicit Dominus: *Diligite inimicos veſtros, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam; quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

Quòd Fratres non ingrediantur Monaſteria Monacharum.

CAP. XI.

PRæcipio firmiter Fratribus univerſis, ne habeant ſuſpecta conſortia, vel conſilia mulierum: & ne ingrediantur Monaſteria Monacharum, præter illos, quibus à Sede Apoſtolica conceſſa eſt licentia ſpecialis. Nec fiant compatres virorum vel mulierum, ne hac occaſione inter

Fra-

Fratres, vel de Fratribus, ſcandalum oriatur.

De euntibus inter Saracenos, & alios infideles.

CAP. XII.

Quicumque Fratrum, divina inſpiratione, voluerint ire inter Saracenos, & alios infideles; petant inde licentiam à ſuis Miniſtris Provincialibus. Miniſtri verò nullis eundi licentiam tribuant, niſi eis quos viderint eſſe idoneos ad mittendum. Ad hæc per obedientiam injungo Miniſtris, ut petant à Domino Papa unum de Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui ſit Gubernator, Protector & Corrector iſtius Fraternitatis; ut ſemper ſubditi & ſubjecti pedibus ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſtabiles in fide Catho-

lica,

lica, paupertatem & humilitatem, & ſanctum Evangelium Domini noſtri Jesu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſervemus.

Explicit Regula & vita Fratrum Minorum.

Sequitur confirmatio Regulæ.

NUlli ergò omninò hominũ liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani, tertio Kalendas Decembris, Pontificatûs noſtri anno octavo.

Expli-

Explicit confirmatio Regulæ Fratrum Minorum.

Incipit Teſtamentum (ſeu expoſitio & gloſſa ſpiritualis Regulæ) beatiſſimi Patris noſtri Franciſci, quod inſignitus ſacris ſtigmatibus, fervore & Spiritu Sancto plenus, prope finem vitæ ſuæ nobis reliquit, ut Regula magis ſincerè magiſque Catholicè obſervetur.

DOminus dedit mihi Fratri Franciſco ita incipere facere pœnitentiam: quia, cùm eſſem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leproſos: & ipſe Dominus conduxit me inter illos, & feci miſericordiam cum illis. Et recedente me ab ipſis, id quod mihi videbatur amarum, converſum fuit mihi in dulcedinem animæ & corporis.

Et

Et poſtea parum ſteti, & exivi de ſæculo. Et Dominus dedit mihi talem fidem in Eccleſiis, ut ita ſimpliciter adorarem & dicerem: *Adoramus te ſanctiſſime Domine JESU Chriſte, hic, & ad omnes Eccleſias tuas, quæ ſunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.* Et poſtea dedit mihi Dominus tantam fidem in Sacerdotibus, qui vivunt ſecundùm formam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, propter Ordinem ipſorum, quòd ſi facerent mihi perſecutionem, volo recurrere ad ipſos. Et ſi haberem tantam ſapientiam, quantam Salomon habuit, & invenirem pauperculos Sacerdotes hujus ſæculi, in parochiis, in quibus morantur, nolo prædicare contra vo-

voluntatem ipſorum. Et ipſos & omnes alios volo timere,& amare, & honorare, ſicut meos dominos. Et nolo in ipſis conſiderare peccatum, quia Filium Dei diſcerno in eis, & Domini mei ſunt. Et propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc ſæculo, de ipſo altiſſimo Filio Dei, niſi ſanctiſſim um Corpus ejus,&Sanctiſſimum Sanguinem ſuum, quem ipſi conficiunt, & ipſi ſoli aliis adminiſtrant. Et hæc ſanctiſſima myſteria volo ſuper omnia honorare & venerari, & in locis pretioſis collocare. Et ſanctiſſima nomina ejus, & verba ſcripta, ubicumque invenero in locis illicitis,volo colligere, & rogo,quòd colligantur,& in loco honeſto collocentur. Et omnes Theologos,& qui miniſtrant no-

bis

bis ſanctiſſima verba divina, debemus honorare & venerari, ſicut qui miniſtrant nobis ſpiritum & vitam.

Et poſtquam Dominus dedit mihi de Fratribus, nemo oſtendebat mihi quid deberem facere, ſed ipſe Altiſſimus revelavit mihi, quòd ego deberē vivere ſecundùm formam ſancti Evangelij. Et ego paucis verbis & ſimplicibus feci ſcribi, & Dominus Papa confirmavit mihi. Et illi, qui veniebant ad recipiendā vitam iſtam, omnia, quæ habere poterant, dabant pauperibus. Et eramus contenti unâ tunicâ, intus & foris repeciatâ, cum cingulo & braccis, & nolebamus plus habere.

Officium dicebamus nos Clerici ſecundùm alios Clericos,

Laici

Laici dicebant *Pater noſter*. Et ſatis libenter manebamus in Eccleſiis pauperculis & derelictis; & eramus idiotæ & ſubditi omnibus.

Et ego manibus meis laborabam, & volo laborare, & omnes alij Fratres mei firmiter volo, quòd laborent de laboritio quod pertinet ad honeſtatem: & qui neſciunt, diſcant: non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, ſed propter bonũ exemplum, & ad repellendam otioſitatem.

Et quando non daretur nobis pretiũ laboris, recurrebamus ad menſam Domini, petendo eleemoſynam oſtiatim. Salutationẽ hanc mihi Dominus revelavit, ut diceremus: *Dominus det tibi pacem*. Et caveant ſibi Fratres,

ut

ut Eccleſias, & habitacula, & alia omnia, quæ pro ipſis conſtruuntur, penitus non recipiant, niſi eſſent, ſicut decet ſanctam paupertatem, quam in regula promiſimus, ſemper ibi hoſpitantes tanquam advenæ & peregrini. Præcipio firmiter per obedientiam Fratribus univerſis, ut, ubicumque ſunt, non audeant petere aliquam litteram in Curia Romana, per ſe, nec per interpoſitam perſonam; neque pro Eccleſia, neque pro aliquo loco, neq; ſub ſpecie prædicationis, neque pro perſecutione ſuorum corporum: ſed ubicumque non fuerint recepti, fugiant in aliam terram, ad faciendam ibi pœnitentiam cum benedictione Dei.

Et firmiter volo obedire Generali

nerali Miniſtro, & illi Guardiano, quem ſibi placuerit mihi dare; & ita volo eſſe captus in manibus ſuis, ut non poſſim ire, vel facere ultra voluntatem ſuam, quia Dominus meus eſt.

Et quamvis ſim ſimplex, & infirmus, tamen volo ſemper habere Clericum, qui mihi faciat officium, ſicut in Regula continetur. Et omnes alij Fratres teneantur per obedientiam obedire Guardianis ſuis, & facere officium ſecundùm Regulam. Et qui inventi eſſent, qui non facerent officium ſecundùm Regulam; & vellent alio modo variare, aut non eſſent Catholici; omnes Fratres ubicunque ſunt, per obedientiã teneantur, quòd ubicunque invenerint aliquem ipſorum, proximiori Cuſtodi

illius loci, ubi ipſum invenerint debeant præſentare. Et Cuſtos teneatur per obedientiam ipſum fortiter cuſtodire ſicut hominem in vinculis die, noctúque, ita quòd non poſſit eripi de manibus ſuis, donec in propriâ perſonâ ſuâ ipſum præſentet in manibus ſui Miniſtri. Et Miniſter teneatur firmiter per obedientiam mittere ipſum per tales Fratres, qui die, noctúque cuſtodiant ipſum, ſicut hominem in vinculis, donec repræſentent ipſum coram Domino Oſtienſi, qui eſt Dominus, Protector, & Corrector iſtius Fraternitatis.

Et non dicant Fratres, hæc eſt alia Regula; quia hæc eſt recordatio, admonitio, & exhortatio ac meum Teſtamentum, quod ego Frater Franciſcus parvulus

veſter

veſter & ſervus facio vobis Fratribus meis benedictis, propter hoc, ut Regulam, quam Domino promiſimus, meliùs catholicè obſervemus.

Et Generalis Miniſter, & omnes alij Miniſtri, & Cuſtodes teneantur per obedientiam in iſtis verbis non addere, vel minuere. Et ſemper hoc ſcriptum habeant ſecum juxta Regulam; & in omnibus Capitulis, quæ faciunt, quando legunt Regulam, legant & iſta verba.

Et omnibus Fratribus meis, Clericis, & Laicis præcipio firmiter per obedientiam, ut non mittant gloſſas in Regula, nec in iſtis verbis, dicendo; ita volunt intelligi; Sed ſicut Dominus dedit mihi purè, & ſimpliciter dicere, & ſcribere Regulam, & iſta

verba, ita ſimpliciter, & purè ſine gloſſa intelligatis, & cum ſancta operatione obſervetis uſque in finem.

Et quicunque hæc obſervaverit, in cœlo repleatur benedictione altiſſimi Patris cœleſtis, & in terra repleatur benedictione dilecti Filij ſui, cum ſanctiſſimo Spiritu Paraclito, & omnibus Virtutibus cœlorum, & omnibus Sanctis. Et ego Frater Franciſcus parvulus veſter, & ſervus, quantumcunq; poſſum, confirmo vobis intùs, & foris iſtam ſanctiſſimam benedictionem in æternum, Amen.

Explicit Teſtamentum beatiſſimi Patris noſtri Franciſci.

Summarium Præceptorum.

PRimum ſtatus noſtri ſubſtantiale fundamentum (ut

ait

aït Hugo in 1. cap. Regulæ) eſt, Evangelica ſervare conſilia, quæ in Regula ſunt expreſſa: & eo modo & forma prout in ipſa poſita ſunt. Unde aſſertivè dicendum eſt, nihil eſſe in Regula quod ſub mortali culpa, virtute voti regularis, obliget profeſſores; niſi quod ſub præceptoriis verbis in ea ponitur, ut (*præcipio: injungo per obedientiam:*) vel ſub verbo habente vim præcepti; ut dicendo (*teneantur:*) vel ſub verbo inhibitorio, ſeu prohibitorio, ut eſt illud 6. cap. (*Fratres nihil ſibi approprient*) vel niſi ſit de illis æquipollentibus per Clementem V. (in ſua declaratione ſuper Regulam Fratrum Minorum quæ incipit: *Exivi de paradiſo, &c.*) ſpecificatis & expreſſis. Quæ omnia hic

pro commoditate Novitiorum ſubſcribuntur.

VII. Præcepta formalia.
II. Inhibitoria.
IV. Habentia vim præcepti.
XII. Æquipollentia præceptis.

Præcepta Formalia.

1. QUòd totus Ordo teneatur præſtare obedientiam & reverentiam Domino Papæ, & Romanæ Eccleſiæ. *cap.1.*

2. Quòd Fratres nullo modo denarios vel pecuniam recipiant. *cap. 4.*

3. Quòd Fratres obediant ſuis Miniſtris in omnibus quæ promiſerunt Domino obſervare. *cap. 10.*

4. Quòd Fratres non habeant ſuſpecta conſortia mulierum. *cap. 11.*

5. Quòd

5. Quòd non ingrediantur Monaſtria Monacharum. *cap. 11.*

6. Quòd non fiant compatres virorum aut mulierum. *cap. 11.*

7. Quòd Miniſtri petant unum de Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui ſit Gubernator, Protector & Corrector iſtius Fraternitatis. *cap. 12.*

Inhibitoria.

1. QUòd nullo modo liceat Fratribus de iſta religione exire. *cap. 2.*

2. Quòd Fratres nihil ſibi approprient. *cap. 6.*

Habentia vim præcepti, etiam obligantia ad mortale, ex declaratione Pontificum.

1. QUòd Fratres teneantur recurrere ad Miniſtros Provinciales pro caſibus reſervatis. *cap. 7.*

2. Quòd Fratres habeant unum de Fratribus iſtius Religionis in Generalem Miniſtrum, &c. *cap.* 8.

3. Quòd Miniſtri & Cuſtodes teneantur in ſimul convenire in Capitulo Generali, pro electione Succeſſoris Generalis Miniſtri. *cap.* 8.

4. Quòd ſi aliquo tempore appareret univerſitati Miniſtrorũ Provincialium, & Cuſtodum, prædictum Miniſtrum non eſſe ſufficientem; debeant eligere alium, &c. *cap.*8.

Æquipollentia ex declaratione Clementis V. obligantia ad mortale.

1. QUòd Fratres habeant unam tunicam cum capucio, & aliam ſine capucio, qui voluerint habere. *cap.* 2.

2. Quòd

2. Quòd illi tantùm, qui neceſſitate coguntur, poſſint portare calceamenta. *cap.* 2.

3. Quòd vilibus veſtimentis induantur. *cap.* 2.

4. Quòd Clerici faciant divinum Officium ſecundùm ordinem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ: & Laici dicant *Pater noſter.* *cap.* 3.

5. Quod Fratres jejunent à Feſto omnium Sanctorum uſque ad Nativitatem Domini, ſanctam Quadrageſimá Reſurrectionis, & in ſextis Feriis totius anni. *cap.* 3.

6. Quòd non equitent, niſi manifeſta neceſſitate aut infirmitate cogantur. *cap.* 3.

7. Quòd Miniſtri & Cuſtodes ſolicitam curam gerant pro neceſſitatibus infirmorum; & alijs

Fratribus induendis. *cap.* 4.

8. Quòd Fratres ſerviant Fratribus infirmis, *cap.* 6.

9. Quòd Fratres non prædicent in Epicopatu alicujus Epiſcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum. *cap.* 9.

10. Quòd nullus Fratrum populo audeat prædicare, niſi à Miniſtro Generali hujus Fraternitatis fuerit approbatus. *cap.* 9.

11. Quòd ubicumque ſunt Fratres, qui ſcirent & cognoſcerent, ſe non poſſe Regulam ſpiritualiter obſervare, poſſint & debeant ad ſuos Miniſtros recurrere. *cap.* 10.

12. Omnia quæ ponuntur in Regula, quoad formam habitûs, tam Novitiorum quàm etiam Profeſſorum, & ad modum receptionis ac profeſſionis ſpectantia,

tia, in quo multæ conditiones obligatoriæ comprehenduntur. *cap.* 2.

Hæc omnia ſi ſimul jungantur, conſtat, quòd viginti quinque erunt obligatoria Regulæ ſub culpa mortali. Septem ſcilicet præcepta formalia: duo inhibitoria: quatuor habentia vim præcepti: & duodecim æquipollentia: quæ omnia viginti quinque ſunt. Et licèt ſecundùm declarationes Nicolai III. & Clementis V. ſint viginti octo, reducuntur tamen ad viginti quinque. Nam reliqua tria habentia vim præcepti, includuntur in ſupradictis. Id enim, quod dicitur in primo capite (*quòd Fratres teneantur obedire ſucceſſoribus ſancti Franciſci*) & id, quod dicitur capite octavo (*quòd tene-*

antur obedire Generali Miniſtro) includuntur utique in illo præcepto, capite decimo. Quòd obediant ſuis Prælatis in omnibus, quæ non ſunt contraria animæ ſuæ, & Regulæ noſtræ. Illud autem, quod dicitur de jejunio ſextæ Feriæ, ad æquipollens reducitur, ubi agitur de jejunio. Illud verò duodecimi capitis de non eundo inter Saracenos ſine licentia, & non mittendo niſi idoneos; potius videtur præceptum juris communis (cap. *Quàm ſit*; de Judæis & Saracenis, *& cap. Cùm ex injuncto*, de hæreticis,) quàm particulare Regulæ noſtræ, & ideò hîc non connumeratur.

TEſtamentum ſancti Franciſci non obligat nos ſub

culpa

culpa mortali ad ſui obſervantiam. Quod & Gregorius IX. & Nicolaus III. expreſsè teſtantur. Ob reverentiam tamen Seraphici Patris, decet nos illud pro virili obſervare. Nec ad alia conſilia Evangelica tenentur Fratres quàm quæ (ut dictum eſt) in Regula ponuntur. Eò tamen amplius tenentur quàm cæteri Chriſtiani, quo ſtatum perfectionis profitendo, ſeipſos in holocauſtum & ſacrificium medullatũ Domino obtulerunt per verum mundanorum omnium contemptum, & conari debent pro viribus (ut monet Nicolaus III. & omnes Doctores) ut ea obſervent, cùm maximè ſerviant ad ipſam perfectionem aſſequendam.

Forma Professionis Fratrum Minorum.

EGo Frater N. voveo & promitto DEO omnipotenti, & Beatiſſimæ MARIÆ Virgini, & B. Franciſco, & omnibus Sanctis, & tibi Pater, toto tempore vitæ meæ ſervare Regulam Fratrum Minorum, per Dominum Papam Honorium confirmatam: vivendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate.

Prælatus, qui ad Profeſſionem recipit, reſpondet:

Et ego ex parte DEI, ſi hæc obſervaveris, promitto tibi vitam æternam. In Nomine Patris ✝, & Filij ✝, & Spiritus ſancti ✝.

Omnes Fratres reſpondent:

Amen.

ORA-

ORATIO
Pro renovandâ Profeſſione.

GRatias ago tibi Domine JESU Chriſte, pro gratia ſingulari, quâ me viliſſimũ peccatorem de hoc ſæculo nequam eduxiſti, & in hoc religioſiſſimo Ordine ad ſolemnem Profeſſionem admiſiſti.

Doleo ex toto corde, quòd gratiæ non ſatis reſponderim, & tanto beneficio ingratus fuerim. Deteſtor omnes negligentias in hoc ſtatu commiſſas, & quòd tam parum ad ejus perfectioné aſpiraverim. Ignoſce mihi DEUS veniæ largitor, & da, ut vel nunc tandem tuâ gratiâ incipiam, ſicuti ex animo cupio, propono & deſidero. Quòd ſi me votis necdum tuæ Majeſtati obſtrinxiſſem, nunc ſanè id facerem: ideo-

ideoq́uė quantâ devotione poſſum, illa nunc renovo, illisq́ue meipſum tibi in unione ſacroſanctæ oblationis, quâ teipſum pro nobis à primo ſanctiſſimæ incarnationis tuæ inſtanti ad mortem uſque Patri obtuliſti, immolo, & novo fervore *Voveo & promitto D E O omnipotenti*, &c. *ut ſuprà.* Veruntamen, quia ad hæc implenda me nimis tepidum & infirmum agnoſco, rogo te miſericordiſſime JESU, ut qui dediſti mihi vovendi voluntatem, tribuas etiam exequendi facultatem, meq́ue ita dirigas, ut non mihi, ſed tibi ſoli vivam, omnesq́ue Ordinis obſervantias, & quidquid animæ meæ perfectionem promovere poſſit, ſummo ſtudio amplectar, ad majorem Nominis tui gloriam,

am, qui es DEUS benedictus in ſæcula. Amen.

Verba exhortaria,

A Sancto P. FRANCISCO, Fratribus ſuis zelantibus puram obſervantiam Regulæ dicta.

O Dilectiſſimi Fratres,
Et in æternũ benedictiFilij,
Audite me, audite vocem Patris veſtri!
Magna promiſſimus;
Majora promiſſa ſunt nobis:
Servemus hæc,
Suſpiremus ad illa:
Voluptas brevis;
Pœna perpetua:
Modica paſſio;
Gloria infinita:
Multorum vocatio;
Paucorum electio:
Omnium retributio, Amen.

Maledictio,

A Sancto Patre Franciſco, in Fratres ſuos ſcandaloſè viventes fulminata; qui videlicet in Ordine ſuo aliquam proprietatem, maximè pecuniarum, vel aliquid contra puritatem Regulæ inducunt, & qui alios ſuis malis exemplis ſcandalizant, & Ordinem relaxant.

A Te ſanctiſſime Pater,
Et à tota cœleſti Curia,
Et à me pauperçulo
Sint maledicti,
Qui ſuo malo exemplo
Conſundunt, & deſtruunt,
Quod per ſanctos Fratres
Hujus Ordinis ædificâſti;
Et ædificare non ceſſas, Amen.

Fratres, horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. Ad Hæbr. Cap. 10.

Sen-

Sententiæ notabiles Sanctì Patris noſtri FRANCISCI,

De humili ſervo Dei.

BEatus ille Servus, qui non tenet ſe meliorem, quando magnificatur & exaltatur ab hominibus, ſicuti quando tenetur vilis, ſimplex, abjectus, & deſpectus, quia quantum eſt homo coram Deo, tantum eſt, & non plus.

Væ illi Religioſo, qui ab alijs poſitus eſt in alto, & per ſuam voluntatem non vult deſcendere.

Et Beatus ille Servus, qui non per ſuam voluntatem ponitur in alto, & ſemper deſiderat ſubeſſe pedibus aliorum.

De bono & vano Religioſo.

BEatus ille Religioſus, qui non habet jucunditatẽ & lætitiam, niſi in Sanctiſſimis eloquijs, & in ope-

operibus Domini, & cum his perducit homines ad amorem DEI in gaudio, & lætitia, & exultatione.

Væ illi Religioſo, qui delectatur in verbis otioſis & vanis, & in his perducit homines ad riſú.

De Correctione.

BEatus ſervus, qui diſciplinam, accuſationem, & reprehenſionem ita patienter ab aliquo ſuſtinet, ſicuti à ſemetipſo.

Beatus Servus, qui reprehenſus benignè acquieſcit, verecundè obtemperat, humiliter confitetur, libenter ſatisfacit.

Beatus Servus, qui non eſt velox ad ſe excuſandum, & humiliter ſuſtinet verecundiam & reprehenſionem de peccato, ubi non commiſit culpam.

De

De perfecta obedientia.

DIcit Dominus in Evangelio: *Qui non renuntiaverit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus Diſcipulus.* Et, *qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam.* Ille homo renuntiat omnibus, quæ poſſidet, & perdit corpus ſuum, qui ſeipſum totum præbet ad obedientiam in manibus ſui Prælati; & quidquid facit aut dicit, quod ipſe ſciat, quòd non ſit contra voluntatem ejus (dum bonum eſt, quod facit) vera obedientia eſt. Et quando ſubditus viderit meliora, & utiliora animæ ſuæ, quàm ea, quæ ſuus Prælatus præcipiat, ſuam voluntatem ſacrificet Domino; &, quæ ſunt Prælati opera, ſtudeat adimpleſere. Nam hæc eſt charitativa obedientia, quæ Deo

&

& proximo ſeipſum Sacrificium facit. Si verò Prælatus præcipiat aliquid ſubdito contra animam ſuam, licèt ei non obediat, tamẽ eum non dimittat. Et ſi ab aliquibus perſecutionem ideo ſuſtinuerit, magis illos diligat propter DEUM. Nam qui potiùs perſecutionem ſuſtinet, quàm velit à ſuis Fratribus ſeparari, verè permanet in perfectâ obedientiâ; quia ponit animam ſuam pro Fratribus ſuis: Sunt multi Religioſi, qui ſub ſpecie videndi meliora quàm quæ ſui Prælati præcipiunt, aſpiciunt retrò, & ad vomitum propriæ voluntatis redeunt. Hi homicidæ ſunt, & propter ſua mala exempla multas animas perdere faciunt.

Sen-

Sententiæ notabiles S. BERNARDINI SENENSIS, *Tractatu de Proprietarijs.*

1. Violant votum, & proprietarij ſunt, qui rem quamcunque aut à quocunque donatam, Prælato in fraudem celant; vel cum præcipit, ut reddatur, vel alteri concedatur, aut detur, non ſtatim reddunt.

2. Qui uſum rerum communitatis in proprium uſum commutant, aut alijs dant, ſine licentiâ Prælatorum.

3. Qui abſcondunt clavem, ne Prælatus quidquam tollat, aut aliud diſponat: & ſi quid tollitur, turbantur & murmurant.

4. Qui deliberatè eo ſunt animo, ut ſi quid tolleretur, aut repete-

petetur, non ſtatim acquieſcerent.

5. Item peccant in votum, qui Miſſam celebrant pro pecuniâ, quando Fratres tunc pro tempore præſenti, vel de proximo imminenti, non habent neceſſe recurrere ad amicum ſpiritualem, ut aliquid ſolvatur, aut ematur.

6. Qui eleemoſynam pro neceſſitate depoſitam, aut datam nolunt expendere, ſed per modum providentiæ in futurum, aut Theſaurizationis, reſervant, quærentes interim alia.

7. Qui rem habitam reſervant ſuperfluè, aut reponunt, nolentes uti, ne deſtruatur, & ut in futuro ſibi non deficiat.

8. Qui pecuniam à dantibus in dando ſpecialiter ad certos

ųs deputatam, commutari ſa-
ūnt in alios uſus, ſuâ auctorita-
, contra expreſſam volunta-
m dantium.
9. Qui ea, quæ ad obſequium
ortuorum dantur, vel ſimilia,
ndūnt, aut in aliud commu-
nt, ſuo nomine & auctoritate,
ræter voluntatem Procura-
torum Papæ, aut
dantium.

VIA FRANCISCANA
Ad Cœleſte Hieruſalem,
Habens ſemitas duodecim.

SEMITA PRIMA,
Preces Matutinæ.
Expergefactus dic :

O JESU MARIA!

VObis offero in Sacrificium matutinum cor meum, & animam meam.

Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.

Illumina, Domine, oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversùs eum.

In Nomine ✝ Patris, & ✝ Filij, & Spiritus ✝ Sancti, Amen.

Be-

Benedicta ſit Sancta, & individua Trinitas nunc, & ſemper, & per infinita ſæcula ſæculorum Amen.

Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, miſerere nobis.

Dum Surgis.

IN Nomine Domini JESU Chriſti ſurgo, qui me redemit ſuo pretioſo Sanguine, ille me benedicat ✝, cuſtodiat, regat, atque ab omni malo defendat, in omni opere bono ſemper confirmet, & poſt hanc miſeram vitam perducat me ad vitam æternam, Amen.

Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo DEO noſtro in ſæcula ſæculorum, Amen.

Jesus centrum cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

MARIA Mater gratiæ
Dulcis Parens Clementiæ
Tu nos ab hoſte protege
Et mortis horâ ſuſcipe.

Angele Dei, qui Cuſtos es mei, me tibi Commiſſum pietate ſuperna, hodie illumina, cuſtodi, rege, & guberna.

Sancte Pater Franciſce, & Sancti Patroni, & Advocati mei, veſtrâ tutelâ me circumvallate; ut non accedat ad me malum, & flagellum non appropinquet tabernaculo meo.

Ad orandum compoſitus dic:

O Miſericordiſſime DEUS, omne bonum meum, Pater mi, Solatium meum, & Deus meus! gratias tibi ago. Tibi quoque O benigniſſima Virgo

VirgoMaria,Conſolatrix viventium,& pia Mater morientium! Sanɛte Angele Cuſtos, Beate Pater Franciſce, ac vobis amantiſſimi Sanɛti Patroni, & Advocati mei N.N. ac omnibus Sanɛtis gratias ago pro noɛte hac feliciter transaɛta, quòd in peccatis mortuus non fuerim, ſed ad hanc uſque diem ſervatus, ut per fidem, pœnitentiam, ac Chriſtianæ legis opera gratiam DEI mihi conciliare valeam.

O clementiſſime DEUS! in gratiarum aɛtionem ad te primum ſuſpirium, & æſtus cordis mei, tibi me totum, qualemcumque, quantulum, omnes animæ vires, & corporis ſenſus, & omnia offero, & immolo: ut de me, meiſque omnibus, tamquam de tuis, ſtatuas, vitam me-

am ad tui nominis gloriam dirigas, bonis ſuggeſtionibus intellectum illuſtres, fervore charitatis affectum ad te moveas, ſenſus, ſermones, & actus meos ad animæ meæ, & proximi ſalutem componas.

O Pijſſime JESU! rogo te, ut hodierna die ab omni peccato me cuſtodias, ne cogitatione, verbo, vel opere, aut negligentiâ divinam tuam Majeſtatem ullo modo offendam.

O Amantiſſime DEUS! fac me ſimiliter transactâ die feliciter ad honorem tuum veſperum videre: Si autem mihi hunc ſubtrahis, & hodie mihi ex ſæculo migrandum eſt, fiat ſancta voluntas tua. Fac ſaltem, Pater miſericordiarum, benignè cum ſervo tuo, ſalva me in te ſperantem,

tem, ne hora improviſa me corripiat, nec dies tua ut fur mihi adveniat. In manus tuas commendo Spiritum meum: In te Domine ſperavi non confundar in æternum: & idem omnibus fidelibus concede, oro, & maxime his, pro quibus orare teneor.

Ad ſignum ſanctæ Crucis.

A Te Crucifixe amor mi, Jesu dulciſſime, accipiam ſignum ſanctæ Crucis in ✝ fronte, ✝ ore, & in ✝ corde, ut in æternum vivam ſub tua protectione. Concede mihi hodie, & in omni tempore vitæ meæ currere viam mandatorum tuorum, ſub hoc vexillo S. Crucis: ut contra hoſtiles inſultus, Mundi, Carnis, & Diaboli, fortiter præliando victoriam, ac tandē bravium vitæ æternæ reportem Amen.

Has quatuor ſacras litteras I.N.R.I. *pollice in fronte ſcribe, ſimul & nomina ſignificata dic: quæ plurimùm valent contra ſubitaneam, & inproviſam mortem. Teſte S. Edmundo*

JESUS Nazarenus Rex Judæorum: Hic titulus triumphalis JESU Chriſti Salvatoris mei, præſervet me à ſubitanea, improviſa, & mala morte, Amen.

Pactum cum DEO.

DEUS omnipotens, ex amore & deſiderio te hâc totâ die laudandi, Sanctifico, dico & conſecro tibi omnes pulſus & motus Cordis, & omnium arteriarum mearum, hocque pactũ tecum ineo, quòd omnes eorum motus idẽ ſignificent, quod hæc verba: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Quam ſignificationem præfatis moti-

bus

bus inditam velim, adeò, quòd à tuâ Divinâ Majeſtate per eoſdem idem intelligatur, quantum intelligitur per illud cæleſte canticum à Seraphinis decantatum. Fiat, fiat, Amen.

Pactum majus ſingulis Septimanis renovandum.

DOmine DEUS creator meus, tu ſcis deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus: Sed quia præſentis vitæ neceſſitates minùs ſinunt mentem laudi tuæ intendere, ideo tale pactum, quod hâc totâ ſeptimanâ firmũ permaneat, tecum ineo.

Quoties Cælum ſuſpexero, toties gratulabor & congaudebo tibi ob infinitas perfectiones tuas, quod ſis, qui es, ſummè potens, ſapiens, benignus, & juſtus.

Quoties oculum clauſero vel aperuero, toties rata & grata habeo omnia opera & actiones, quas Unigenitus tuus & omnes Sancti ac Juſti ad laudem tuam unquam fecerunt, & deinceps facient, méque horum participem fieri deſidero.

Quoties halitum traxero, toties offero tibi vitam, Paſſionem & Sanguinem Domini noſtri JESU Chriſti, omniúmque Sanctorú merita & Paſſiones, in laudem æternam & ſalutem univerſitatis, omniúmque totius mundi peccatorum ſatisfactionem.

Quoties ſuſpiravero, toties deteſtor & abominor omnia, & ſingula peccata tam mea, quàm omnium hominum, ab initio mundi contra honorem Nominis

nis tui perpetrata, quæ utinam meo Sanguine aliquatenus compenſari poſſent.

Demum quoties manum vel pedem movero, toties ex amore tui proijcio & reſigno me totum in tuam Sanctiſſimam voluntatem, optans, ut de me in tempore & æternitate diſponas juxta tuum laudabiliſſimum beneplacitum. Et hæc quinque pacta, ne unquam irritari poſſint, Sacratiſſimis quinque vulnerum tuorum ſigillis obſigno, eáque rata ac valida eſſe volo, licèt tunc, cùm unum de ijſdem edidero, de ijſdem minimè cogitarem. Amen.

Ad Beatiſſimam Virginem.

SPes animæ meæ poſt DEUM Virgo MARIA: in illam commendationem, & in illam

fidem, quâ te dilectus Filius tuus Dominus noſter JESUS Chriſtus dilecto Diſcipulo ſuo Joanni commendavit, commendo tibi hodie & ſemper corpus meum, animam meam, horam exitûs à corpore animæ meæ, & omnes actus meos, ac precor te, ut ſerves me à peccatis, à ſcandalo, ab omni confuſione humana, ac immundis cogitationibus, ab omni mortali peccato, à ſubitanea, improvisa, & mala morte, & ab omnibus periculis animæ & corporis: nec unquam me in tale permittas labi peccatum, quo gratiam DEI amittam: Da mihi de præteritis emendationem, de imminentibus effugiú, & de futuris cautelam: Da mihi in hac vita contra omnia adverſa promptum adjutorium, &

& eſto mihi in tremendo judicio advocata apud dilectum Filium tuum Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, Amen.

Ad Sanctum Angelum Cuſtodem.

OBſecro te Angelice Spiritus, ex ordinatione divinâ, Cuſtos, & tutor mei fideliſſime, ut me in viâ pacis, proſperitatis, & ſalutis hodie, & ſemper dirigas, atque ab omni malo Spiritu defendas. Aſſiſte mihi fideli cuſtodiâ, ut te adjuvante ſentiã efficax DEI auxilium, quo ſerver à lapſu, & periculis: in gratia verò, boniſque operibus, & DEI Creatoris mei cultu, ac amore conſtans permaneam, eumque unà tecum, & Sanctis omnibus laudem per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Ad Sanctos Patronos.

O Sancte Pater Franciſce, & vos mihi ſingulariter dilecti Sancti Patroni, & advocati mei N. N. congaudeo, & congratulor ex animo gloriæ & felicitati veſtræ: ſed ſuſpirat, & anhelat ad vos gemens, ac tremens anima mea inter tot hoſtes, & ſalutis diſcrimina. Vos mei, Clientis veſtri, memores eſtote, & obtinete mihi gratiam DEI validam, & efficacem, ut fortiter hoſtibus meis mundo, Carni, & Diabolo reſiſtam, & ne ullis unquam ipſorum inſidijs, & viribus ſuccumbam, ſed Chriſto JESU, ſalvatori meo uſque ad mortem exemplo veſtro conſtanter adhæream: ut nunc vobis in gratia, & tunc conjungar in gloria, DEUM unà vobiſcum

lau-

audem per omnia ſæcula ſæcu-
orum, Amen.

Pro Defunctis.

O Piiſſime JESU! miſerere animabus in purgatorio detentis, pro quibus redimendis humanam naturam aſſumpſiſti, mortemque amariſſimam ſuſcepiſti: Miſerere gemituum, miſerere lachrymarum, quas ad te fundunt; & per virtutem Sanctiſſimæ paſſionis tuæ, condona eis pœnas pro peccatis ipſarum debitas. Deſcendat, piiſſime JESU, pretioſus Sanguis tuus in purgatorium, & recreet, ac refrigeret ibi captivas, & patientes: porrige eis dexteram tuam, & duc eas in locum refrigerij, lucis, & pacis, Amen. *Pater noſter & Ave Maria.*

Benedictio.

DOminus me ✠ benedicat, & ab omni malo defendat, & ad vitam perducat æternam; Et fidelium animæ per miſericordiam DEI requieſcant in pace. Amen.

ACTUS PRÆCIPUARUM VIRTUTUM,

Quotidie ſaltem ſemel coram Deo exercendi.

ADoro Te Sanctiſſima TRINITAS, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres Perſonæ, unus & ſolus DEUS.

Dejicio me in abyſſo mei nihili, ſub conſpectu Divinæ Majeſtatis Tuæ.

Credo firmiſſimè, paratus mille vitas profundere, in conteſta-

teſtationem omnium eorum, quæ nobis in ſacra Scriptura revelâſti, & per Eccleſiam tuam credenda propoſuiſti.

Omnem ſpem meam in Te colloco, & quidquid poſſum habere boni, ſive ſpiritualis, ſive corporalis, & in hac & in altera vita, id totum deſidero, ſpero & volo ſolùm conſequi de Tua manu Deus meus, Vita mea, & unica Spes mea.

Conſigno Tibi hodie, & in perpetuum, corpus & animam meam, omnes potentias meas, memoriam, intellectum, voluntatẽ, & omnes ſenſus meos.

Proteſtor, me non conſentire, neque conſenſurum unquam, quantũ in me eſt, in ullam rem, quæ fiat vel cum minima offenſa Tuæ Divinæ Majeſtatis.

Pro-

Propono firmiſſimè, impendere omne eſſe meum, facultates ac vires meas ad ſervitium & gloriam tuam.

Paratus ſum ſuſcipere omnes adverſitates, quas mihi paterna Tua manus immiſerit, ad dandum guſtum bcatiſſimo cordi Tuo.

Vellem me totum, quantus quantus ſum, impendere, & procurare, ut ab omnibus Tibi ſerviatur: atque omnes homines Te glorificent, & ament Deum Creatorum ſuum.

Gaudeo ſummè de Tua æterna felicitate, & exulto de Tua tam magna gloria, in cœlo, & in terra.

Gratias Tibi ago infinitas, pro innumeris beneficijs, quæ mihi, & toti mundo collata ſunt, & in

dies

lies inceſſanter à benigniſſima Tua providentia conferuntur.

Amo Tuam infinitam Bonitatem propter ſeipſam, ex toto affectu cordis & animæ meæ; & vellem, ſi poſſem, amare eo amore, quo Te amant Angeli, & homines juſti, cum quorum amore conjungo imperfectiſſimũ amorem meum.

Offero Divinæ Majeſtati Tuæ, in unione meritorum paſſionis, vitæ & mortis Chriſti, Beatiſſimæ ſemper Virginis; & omnium Sanctorum, ex nunc, pro ſemper, omnia opera mea, pretioſiſſimo Sanguine Jesu Redemptoris noſtri lota & involuta.

Statuo omnino, participem me facere, quantum poſſibile eſt, Indulgentiarum per actiones

hujus

hujus diei, & illas applicare per modum ſuffragij pro animabus purgatorij.

Volo etiam omne illud, quod poſſum, offerre in pænitentiam & ſatisfactionem meorum peccatorum.

Deus meus, cùm Tu ſis infinitè dignus omni amore & ſervitio, ſiquidem Tu es, qui es: doleo, quantum poſſum, maximè de omnibus meis peccatis, illáque deteſtor ſupra omnia alia mala: peto humillimè veniam, facióque firmiſſimum propoſitum, nunquam offendendi Tuam Bonitatem in æternum.

In Tua vulnera me projicio, ô Jesu! ibi me abſconde & defende, hodie & ſemper, donec mihi largiaris gratiam videndi

Tui,

ui, & amandi in æternum,
men.
JESUS, MARIA, JOSEPH.
obis dono Cor meum, &
Animam meam.

SEMITA SECUNDA.
Peccatoris Pœnitentis.
Septem Pſalmi
POENITENTIALES
Cum Littaniis & precibus.

ntiph. Ne reminiſcaris Domine, &c. *Pſalmus* 6.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miſerere mei Domine, quoniam in firmus ſum: Sana me Domine, quoniam conturbata unt oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt valè: ſed tu Domine uſquequo?

Con-

Convertere Domine & eripe animam meam: ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: Lachrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocē fletûs mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei:

con-

ɔnvertantur & erubeſcant val-
è velociter.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Pſalmus 31.

BEati, quorum remiſſæ ſunt
iniquitates : & quorum te-
a ſunt peccata.

Beatus vir, cui non imputa-
: Dominus peccatum: nec eſt
Spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveterave-
nt oſſa mea : dum clamarem
tâ die.

Quoniam die ac nocte gra-
ta eſt ſuper me manus tua :
nverſus ſum in ærumna mea,
m configitur Spina.

Delictum meum cognitum
i feci : & injuſtitiam meam
n abſcondi.

Dixi ; confitebor adverſùm
: injuſtitiam meam Domino :

&

& tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis Sanctus : in tempore opportuno.

Veruntamen in diluvio aquarum multarum : ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris : firmabo ſuper te oculos meos.

Nolite fieri ſicut equus & mulus: quibus non eſt intellectus.

In chamo & frœno maxillas eorum conſtringe : qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit.

Lætamini in Domino & exultate juſti: & gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri &c.

Pſalmus 37.

DOmine, ne in furorė tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Quoniam ſagittæ tuæ infixa ſunt mihi: & confirmaſti ſuper me manum tuam.

Non eſt ſanitas in carne meâ, facie iræ tuæ: non eſt pax oſſius meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ ſuergreſſæ ſunt caput meum: & cut onus grave gravatæ ſunt per me.

Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ : à facie inſipientiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvatus ſum uſque in finem : totâ die contriſtatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus : & non eſt ſanitas in carne mea.

Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis : rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine ante te omne deſiderium meum : & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea : & lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum.

Amici mei , & proximi mei : adverſum me appropinquaverunt, & ſteterunt.

Et qui juxta me erant, de
gè ſteterunt: & vim facie-
nt, qui quærebant animam
am.
Et qui inquirebant mala mihi,
uti ſunt vanitates: & dolos
â die meditabantur.
Ego autem tanquam ſurdus
n audiebam: & ſicut mutus
n aperiens os ſuum.
Et factus ſum ſicut homo non
diens, & non habens in ore
 redargutiones.
Quoniam in te Domine ſpe-
vi: tu exaudies me Domine
us meus.
Quia dixi, nequando ſuper-
udeant mihi inimici mei: &
m commoventur pedes mei,
per me magna locuti ſunt.
Quoniam ego in flagella pa-

ratus ſum:& dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo : & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, & confirmati ſunt ſuper me : & multiplicati ſunt , qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis,detrahebant mihi: quoniam ſequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine DEUS meus : ne diſceſſeris à me.

Intende in adjutorium meũ : Domine Deus ſalutis meæ.

Gloria Patri, &c.

Pſalmus 50.

MIſerere mei DEUS: ſecundùm magnam miſericordiam tuam.

Et ſecundùm multitudinem
iſerationum tuarum: dele ini-
uitatem meam.
Amplius lava me ab iniquita-
e mea: & à peccato meo mun-
a me.
Quoniam iniquitatem meam
go cognoſco: & peccatum
eum contra me eſt ſemper.
Tibi ſoli peccavi, & malum
ram te feci: ut juſtificeris
ſermonibus tuis, & vincas
m judicaris.
Ecce enim in iniquitatibus
nceptus ſum: & in peccatis
ncepit me mater mea.
Ecce enim veritatem dilexiſti:
certa, & occulta ſapientiæ tuæ
anifeſtaſti mihi.
Aſperges me hyſſopo, & mun-
bor: lavabis me, & ſuper ni-
m dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me DEUS: & Spiritum rectum innova in viſceribus meis.

Ne proijcias me à facie tua: & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam Salutaris tui: & ſpiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te convertentur.

Libera me de Sanguinibus DEUS, DEUS ſalutis meæ: & exaltabit lingua mea juſtitiam tuam.

Domine labia mea aperies: &

os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluiſſes Sacrificium, dediſſem utique: holocauſtis non delectaberis,

Sacrificium DEO ſpiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum DEUS non deſpicies.

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jeruſalem.

Tunc acceptabis Sacrificium juſtitiæ, oblationes, & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Gloria Patri, &c.

Pſalmus 101.

DOmine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam à

me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te: velociter exaudi me.

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

Percuſſus ſum ut fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.

A voce gemitus mei: adhæſit os meum carni meæ.

Similis factus ſum pellicano ſolitudinis: factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi: & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.

Totâ die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, adverſum me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem

nem manducabam : & potum meum cum fletu miſcebam.

A facie iræ & indignationis tuæ : quia elevans alliſiſti me.

Dies mei ſicut umbra declinaverunt : & ego ſicut fœnum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes : & memoriale tuum in generationem & generationem.

Tu exurgens miſereberis Sion: quia tempus miſerendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt ſervis tuis lapides ejus : & terræ ejus miſerebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum Domine : & omnes Reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion : & videbitur in gloria ſua.

Reſpexit in orationem humilium: & non ſprevit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo: Dominus de cœlo in terram aſpexit.

Ut audiret gemitus compeditorum: ut ſolveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini: & laudem ejus in Hieruſalem.

In convertendo populos in unum: & Reges ut ſerviant Domino.

Reſpondit ei in via virtutis ſuæ: paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio die-

dierum meorum: in generationem & generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarũ ſunt cœli.

Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.

Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

Filij ſervorum tuorum habitabunt: & ſemen eorum in ſæculum dirigetur.

Gloria Patri, &c.

Pſalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina uſque ad noctem: ſperet Iſraël in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſraël, ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, &c.

Pſalmus 142.

DOmine exaudi orationem meam: auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua juſtitia.

Et

Et non intres in judicium cum ſervo tuo: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Quia perſecutus eſt inimicus animam meam; humiliavit in terrâ vitam meam.

Collocavit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi: & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.

Memor fui dierum antiquorũ, meditatus ſum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velociter axaudi me Domine: defecit ſpritus meus.

Non avertas faciem tuam à

me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

Auditam fac mihi manè miſericordiam tuam: quia in te ſperavi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: & in miſericordia tua diſperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant

ſant animam meam: quoniam ego ſervus tuus ſum.

Gloria Patri, &c.

Antiph. Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Litaniæ.

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miſerere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.

Sancta

Sancta Dei Genitrix, ora pro nobis.

Sancta Virgo Virginum, ora pro nobis.

Sancte Michaël, ora pro nobis.

Sancte Gabriel, ora pro nobis.

Sancte Raphaël, ora pro nobis.

Omnes ſancti Angeli & Archangeli, orate pro nobis.

Omnes ſancti beatorum Spirituum Ordines, orate pro nobis.

Sancte Joannes Baptiſta, ora pro nobis.

Omnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ, orate pro nobis.

Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
} Ora pro nobis.

Sancte

Sancte Philippe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Matthæe,
Sancte Simon,
Sancte Thaddæe,
Sancte Matthia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,

} Ora pro nobis.

Omnes ſancti Apoſtoli & Evangeliſtæ, orate pro nobis.

Omnes ſancti Diſcipuli Domini, orate pro nobis.

Omnes ſancti Innocentes, orate pro nobis.

Sancte Stephane, ora pro nobis.

Sancte Laurenti, ora pro nobis.

Sancte Vincenti, ora pro nobis.

Sancti Fabiane & Sebaſtiane, orate pro nobis.

Sancti Joannes & Paule, orate pro nobis.

Sancti

Sancti Coſma & Damiane, orate pro nobis.

Sancti Gervaſi & Protaſi, orate pro nobis.

Omnes ſancti Martyres, orate pro nobis,

Sancte Silveſter, ora pro nobis.

Sancte Gregori, ora pro nobis.

Sancte Ambroſi,
Sancte Auguſtine,
Sancte Hieronyme,
Sancte Martine,
Sancte Nicolae,
} Ora pro nobis.

Omnes ſancti Pontifices & Confeſſores, orate pro nobis.

Omnes ſancti Doctores, orate pro nobis.

Sancte Antoni, ora pro nobis.

Sancte Benedicte, ora pro nobis.

Sancte Bernarde, ora pro nobis.

Sancte Dominice, ora pro nobis.

Sancte Franciſce, ora pro nobis.
Omnes ſancti Sacerdotes & Levitæ, orate pro nobis.
Omnes ſancti Monachi & Eremitæ, orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena, ora pro nobis.
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Cæcilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anaſtaſia,
} Ora pro nobis.
Omnes ſanctæ Virgines & Viduæ, orate pro nobis.
Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Propitius eſto, Parce nobis Domine.
Propitius eſto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.

Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A ſubitanea & improviſa morte,
Ab inſidijs Diaboli,
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate,
A ſpiritu fornicationis,
A fulgure & tempeſtate,
A morte perpetua,
Per myſterium ſanctæ Incarnationis tuæ,
Per Adventum tuum,
Per Nativitatem tuam,
Per Baptiſmum & Sanctum Jejunium tuum,
Per Crucem & Paſſionem tuam,
Per mortem & ſepulturam tuam,
Per ſanctam reſurrectionem tuam,

} Libera nos Domine.

Per

Per admirabilem aſcenſionem tuam, libera nos Domine.
Per adventum Spiritûs ſancti Paracliti, libera nos Domine.
In die judicij, libera nos Domine.
Peccatores, te rogamus audi nos.

Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris,
Ut Eccleſiam tuam ſanctam regere & conſervare digneris,
Ut domnum Apoſtolicum & omnes Eccleſiaſticos ordines in ſancta Religione conſervare digneris.
Ut inimicos ſanctæ Eccleſiæ humiliare digneris,
Ut Regibus & Principibus Chriſtianis pacem & veram concordiam donare digneris,

} Te rogamus audi nos.

Ut

Ut noſmetipſos in tuo Sancto ſervitio confortare & conſervare digneris.
Ut mentes noſtras ad cœleſtia deſideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribuas,
Ut animas noſtras, fratrum, propinquorum, & benefactorum noſtrorũ ab æterna damnatione eripias,
Ut fructus terræ dare & conſervare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,
Fili Dei,

} Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,

mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon,
Kyrie eleiſon.
Pater noſter. *Secretò.*
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

Pſalmus 69.

DEUS in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina.
Confundantur & revereantur: qui quærunt animam meã.
Avertantur retrorſum, & erubeſcant: qui volunt mihi mala.
Avertantur ſtatim erubeſcentes: qui dicunt mihi, Euge, Euge.
Exultent & lætentur in te omnes, qui quærunt te, & dicant
ſem-

ſemper: Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego verò egenus & pauper ſum: Deus adjuva me.

Adjutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.

Gloria Patri, &c.

℣. Salvos fac ſervos tuos.

℟. Deus meus ſperantes in te.

℣. Eſto nobis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine non ſecundùm peccata noſtra facias nobis.

℟. Neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis.

℣. Oremus pro Pontifice noſtro N.

℟. Do-

℟. Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro benefactoribus noſtris.

℟. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum, vitam æternam, Amen.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis.

℟. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

℣. Requieſcant in pace.

℟. Amen.

℣. Pro fratribus noſtris abſentibus.

℟. Salvos fac ſervos tuos, Deus meus, ſperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEUS, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere: ſuſcipe deprecationem noſtrā: ut nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catenna conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat.

Exaudi, quæſumus Domine, ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

In

Ineffabilem nobis, Domine, miſericordiam tuam clementer oſtende, ut ſimul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

DEUS, qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris: preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte.

Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo Pontifici noſtro N. & dirige eum, ſecundùm tuam clementiam, in viam ſalutis æternæ: ut te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

DEUS, à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & juſta ſunt opera: da ſervis tuis illam, quam

mundus dare nō poteſt, pacem; ut & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla.

Ure igne ſancti ſpiritûs renes noſtros, & cor noſtrum, Domine: ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium Conditor & Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, pijs ſupplicationibus conſequantur.

Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio & operatio à te ſem-

ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum dominaris ſimul & mortuorum, omniúmque miſereris, quos tuos fide & opere futuros eſſe prænoſcis: te ſupplices exoramus; ut pro quibus effundere preces decrevimus, quoſque vel præſens ſæculum ad huc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore ſuſcepit, intercedentibus omnibus ſanctis tuis, pietatis tuæ clementiâ, omnium delictorum ſuorum veniam conſequantur. Per Dominum noſtrum, &c.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Exaudiat nos omnipotens & miſericors Dominus.

℟. Amen.

℣. Et fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace,

℟. Amen.

ORATIONES
Ante confeſſionem Sacramentalem.

Oratio prima.

DOmine Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina, quæſo, ſplendore gratiæ tuæ cor meum, ut ſufficienter cognoſcam defectus & peccata mea, eáque cum vero cordis dolore & contritione confitear, ſicut oportet coram te, & ſacerdote miniſtro tuo, ac plenè pro ijsdem ſatisfaciam, eàque emendem,

dem, ad laudem & gloriam tuam, & benedictæ Matris tuæ, ac Sanctorum omnium, ac ſalutem animæ meæ, Amen.

Oratio ſecunda.

SUſcipe confeſſionem meam, pijſſime ac clementiſſime Domine JESU Chriſte, unica ſpes ſalutis animæ meæ; & da mihi, obſecro, contritionem cordis, & lachrymas oculis meis, ut defleam diebus ac noctibus omnes negligentias meas cum humilitate & puritate cordis. Appropinquet oratio mea in conſpectu tuo Domine. Si iratus fueris contra me, quem adjutorem quæram? quis miſerebitur iniquitatibus meis? memento mei Domine, qui Chananæam & Publicanum vocaſti ad pœnitentiam, & Petrum lachryman-

tem ſuſcepiſti, Domine DEUS meus, ſuſcipe preces meas.

Salvator mundi, JESU bone, qui te crucis morti dediſti, ut peccatores ſalvos faceres, reſpice me miſerum peccatorem invocantem nomen tuum: & noli ſic attendere malum meum, út obliviſcaris bonum tuum: etſi commiſi, unde me damnare potes, tu non amiſiſti, unde ſalvare ſoles.

Parce ergo mihi, qui es ſalvator meus, & miſerere peccatrici animæ meæ; ſolve vincula ejus, ſana vulnera. Domine Jesu, te deſidero, te quæro, te volo; oſtende mihi faciem tuam, & ſalvus ero.

Emitte igitur, pijſſime Domine, meritis puriſſimæ & immaculatæ ſemper Virginis Genetri-

cis tuæ Mariæ & Sanctorum tuorum, lucem tuam, & veritatem tuam in animam meam, quæ omnes defectus meos in veritate mihi oſtendat, quos confiteri me oportet, atque juvet & doceat ipſos plenè & contrito corde explicare. Qui vivis & regnas cum Deo Patre &c.

Actus contritionis

Ad remiſſionem peccatorum obtinendam efficax.

DOmine JESU Chriſte, verus DEUS & homo, Creator ac Redemptor meus, pœnitet me ex toto corde, quòd offenderim te Dominum & Deum meum, quem amo ſuper omnia. Et propono firmiter amplius nō peccare, omnesq́ue peccandi occaſiones devitare, confiteri & implere pœnitentiam, quæ mihi

fuerit injuncta. Et in ſatisfactionem peccatorum meorum offero tibi ſacratiſſimam vitam, Paſſionem, ac Mortem tuam, totumque pretium Sanguinis tui pro nobis effuſi: merita quoque B. ſemper Virginis Mariæ, & omnium ſanctorum, atque omnia opera mea, & totam vitam meam. Et confido in bonitate & miſericordia tua infinita, quòd per merita pretioſi Sanguinis tui, mihi remiſſurus ſis omnia delicta mea. Et gratiam uberem largiturus, quâ vitam ſanctè inſtituere, tibique perfectè uſque in finem ſervire valeam. Qui cum Patre ſanctoque ſpiritu vivis & regnas Deus in ſæcula benedictus. Amen.

Oratio

Oratio Immediatè ante confeſſionem.

O Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis! Ecce ego proſtratus ante te, acerbiſſimè doleo, quòd oſtéderim te ſummè bonum: confidens in miſericordia tua de ſecura venia peccatorum meorũ, quæ modò omnia integrè & humiliter volo confiteri & vitã meã, adjuvante tuâ divinâ gratiâ, ſeriò emendare. Et tu, ô Virgo glorioſiſſima Mater Dei Maria! interveni pro me. Sancte Pater Franciſce, & vos ſancti Patroni mei NN. omneſque cœli cives orate pro me miſero peccatore. Et quia ego non ſum ſufficiens ad impetrandam hanc gratiam, rogo te, mi ſancte Angele Cuſtos, ut offeras hanc bonam volunta-

tem meam Patri meo æterno, ut hanc confeſſionem perfectè faciam ad laudem & gloriam Dei, & ſalutem animæ meæ, Amen.

Pectus ter tundendo dic.

O JESU fili DEI vivi, miſerere mei: JESU mi, pœnitet me te offendiſſe: JESU pie, propitius eſto mihi miſero peccatori.

POST CONFESSIONEM Sacramentalem

Pſalmus 102.

BEnedic anima mea Domino: & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus.

Benedic anima mea Domino: & noli obliviſci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui

Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus.

Miſerator, & miſericors Dominus: longanimis, & multùm miſericors.

Non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis: neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuit nobis.

Quantùm diſtat ortus ab occidente: longè fecit à nobis iniquitates noſtras.

Quomodo miſeretur Pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe: quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum.

Benedicite Domino omnes Angeli ejus: Miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino omnia opera ejus; in omni loco domi-

nationis ejus: benedic animā mea Domino.

Gloria Patri, &c.

Orationes.

Poſt Confeſſionem Sacramentalem.

Oratio prima.

SIt tibi Domine, obſecro, meritis beatæ ſemper Virginis Genitricis tuæ Mariæ, & omnium ſanctorum, grata & accepta iſta confeſſio mea, & quidquid mihi defuit, nunc & aliàs de ſufficientia contritionis, de puritate & integritate confeſſionis, ſuppleat pietas & miſericordia tua, & ſecundùm illam digneris me habere pleniùs & perfectiùs abſolutum in cœlo. Qui vivis & regnas &c.

Oratio ſecunda.

OMnipotens, & miſericors DEUS, cujus miſericordiæ non

non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus; pijſſimæ Majeſtati tuæ ex toto cordis, ac mentis affectu gratias ago pro exuberantiſſima bonitate tua, quam oſtendiſti ſuper me miſero peccatore, dum tam clementer peccata mihi indulſiſti, & gratiam tuam mihi retribuiſti. Benedicta ſit Divina pietas tua, & benedictus ſit incomprehenſibilis amor dilecti Filij tui, qui eum induxit, hoc tam facile, & efficaciſſimum remedium, quò à peccatis noſtris liberari valeamus, inſtituere. Unde in unione omnium gratiarum actionum, quæ tibi ab omnibus verè pœnitentibus habitæ ſunt, concino tibi laudes, & gratiarum actiones ex parte omnium Cœleſtium, terreſtrium, & infernorum nunc,

&

& in ſæcula ſæculorum , Amen.

Oratio tertia.

GRatias tibi ago pientiſſime JESU, quòd me indignum peccatorem ad pœnitentiá patienter exſpectaveris , veniam & indulgentiam peccatorum mihi clementer conceſſeris. Suſcipe, obſecro, hanc humilé confeſſionem meam, quam feci , & quicquid mihi nunc defuit ad plenam & ſinceram enumerationem peccatorum meorum , & convenientem pro ijſdem dolorem, tu ex fonte miſericordiæ tuæ, ac theſauro paſſionis tuæ benignè ſupplere digneris , meque perfectè abſolutum habere in cœlis : & præſta auxilium gratiæ tuæ, ut deinceps peccata devitem, ac fideliùs tibi ſerviam,

intercedente glorioſa Virgine genitrice Maria, & omnibus Sanctis, qui tibi placuerunt ab initio mundi: juravi enim & ſtatui deinceps cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ, te adjuvante, qui vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

Propoſitum emendationis.

O Amantiſſime JESU! regreſſus ſum, ſicut filius prodigus ad brachia, & amplexus tuæ Divinæ bonitatis: ah me miſerum! quæ nubes tam denſa affectus depravatos efficere potuit, ut non viderem, & amarem te ſolem veritatis? Cœcus fui, cùm te offendi, & amavi cœcitatem meam.

O Infelix tempus, in quo te non cognovi! ô miſera cœcitas, in qua te non vidi! ô nefanda ſur-

ſurditas, in qua non audivi voces tuas! o durum,& infatuatum cor meum! quod ſe immiſcuit pulchritudini,& amori corruptibili tuarum creaturarum, te deſerens, qui es pulchritudo, & bonitas æterna.

Sed ô bonitas infinita! tu mihi oculos aperuiſti, ut agnoſcerem,& horrerem omnia peccata mea propter te, & ut cognoſcerem,& amarem te ſuper omnia.

Serò quidem te amavi,ô amor æterne! faciam,quod nunquam feci, exhibebo me impoſterum ex tota anima mea tibi gratum.

Procul hinc eſto vita vetus, procul profanæ deliciæ, procul honores vani,procul omne peccatum.

In æternum,ô pijſſime JESU! non recedam amplius ab amici-

tia,

tia, & gratia tua, nunquam per ullum peccatum mortale elongabor à te.

O Amantiſſime Jesu, ſi vis, potes me ita mundare, ut te non offendam ampliùs: Dic mihi, ô pie Jesu! obſecro, quod dixiſti olim leproſo, volo, mundare. Dic mihi, quod dixiſti Paralitico, ecce ſanus factus es, jam noli amplius peccare.

Ita propono, ita profiteor, & proteſtor coram Divina tua Majeſtate, coram beata Virgine Maria, beato Patre Franciſco, & tota cœleſti curia, non velle ampliùs peccare gratiâ tuâ divinâ.

At ô clementiſſime Jesu! agnoſco debilitatem, & inconſtantiã meam, agnoſco perverſos mores meos: ſcio quàm ſim fragilis, ſcio, quàm ſæpe, quàm graviter, quàm

quàm temerè tuam Majeſtatem offenderim; ſæpè volui, & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ, & eheu! quoties fui fœdifragus, & infidelis? Hodie tamen non meis fidens viribus, ſed tuâ fretus gratiâ, ſtatuo firmiſſimè ab hac hora nunquam amplius peccare, nunquam amplius amare ullam creaturam plus quàm te. Confirma hoc meum propoſitum, Deus meus, ſigillo gratiæ tuæ, Amen.

Ad beatam Virginem.

O Præſtantiſſima Regina cœli Virgo Maria! quando miſeros nos premit, & angit immenſus cordis dolor, metus aut mœror, nec ullus unquam patet effugiendi locus; hoc unicum duntaxat nobis reliquum eſt, ut oculos noſtros ad te levemus: & qui-

quidem ſemper, maximè verò in extrema mortis hora te benignam Adjutricem, & Conſolatricem optamus. Tu namque es omnium peccatorum Mediatrix apud dilectum Filium tuú, ita ut quo quis ſe ſentit pluribus peccatis irretitum, tantò juſtiùs ſibi videtur ad te accedere, & quantò eſt ſcelerarior, tantò majori jure ad te properare ſe putat. Tu es unicum peccatorum refugium, ad te reſpiciunt multorum gemebundi oculi, & ſuſpirant quàm plurima ſaucia, & miſera corda. Eja ergo, benigniſſima Virgo Maria, illos miſericordes oculos, quos certè à nullo unquam peccatore, nec ab ullo miſero, & deſtituto, ac deſolato homine avertere potuiſti, ad me miſerum converte, acci-

pe me in fidem, & tutelam tuá; ſiquidem conſolatio, & ſpes mea in te ſita eſt. O quàm innumeri peccatis dediti jam DEUM deſeruerant, omnemq́; cœleſtis Patriæ cœtum & DEUM ipſum abjuraverant, negaverant, & in deſperationis Voraginem ſe præcipites dederant, atque à DEO miſerè ſeparati erant, qui tamen tibi innitentes, & ad te confugientes, benignè à te ſervati ſunt, donec te intercedente apud DEUM in gratiam reſtituerentur. Et quis tam immanis uſpiam peccator eſt, qui tot flagitijs ſe ſe adſtrinxerit, idem recogitans, animum, & ſpem bonam non concipiat? Tu planè es unica, ſingularis, & fideliſſima peccatorum Conſolatrix: Te immenſa DEI benignitas adeò fecit cun-

ctis

ctis peccatoribus amabilem; ut ſuperabundans pietas, & benevolentia tua non poſſit nos non afficere, & recreare. O quoties tremendi judicis ſeveram juſtitiam aut mitigaſti, aut avertiſti! ô quoties apud Filium tuum dilectum nobis gratiam, & conſolationem impetraſti! citiùs cœlum cum terra periret, quàm tu aliquem, ſeriò te implorantem tua ope deſtitueres: reverà tu es, & verè diceris Mater, & Regina miſericordiæ, immaculata Virgo Maria, Regina clementiſſima, Domina cœli, & terræ. Exurge nunc, exurge, & Mediatricem, & Conſolatricem te pro me exhibe apud dulciſſimum Filium tuum Jesum Chriſtum Dominum noſtrum: ut ipſe ob tui gratiam cuncta pec-

cata

cata mea deleat, me ſibi gratum efficiat, & ad vitam perducat æternam, Amen.

O Felix MARIA? Tu Mater DEI, Tu Mater Rei: Tu Mater Judicis, Tu Mater exulis: cùm ſis Mater utriuſque Filij, ne ſinas Filium reum, damnari per Filium DEUM: ſed maternâ pietate procura, ut Filius reus reconcilietur Filio, quï eſt DEUS: & per Filium Judicem recipe filium exulem in patriam, O felix MARIA. Amen.

ORATIO.

Sacerdotis ante adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ.

DOmine JESU Chriſte, hoc ſacrum pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare volo in amore illo ſuper excellenti, quo illud ſanctificâſti, cùm præ vehemen-

hementiſſimo ſalutis deſiderio illud inſtituiſti, & ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus adminiſtrari voluiſti, ad laudem Dei Patris, & ſalutem totiusgeneris humani: rogans, ut in unione amoris tui tam mihi, quàm omnibus & ſingulis, quibus illud adminiſtrabo, cedat in augmentum ſalutis, & beatitudinis æternæ. Spiritûs ſancti gratia ita illuminet, accendat, & conſervet ſenſus meos, & cor meum; ut juxta tuum ſummum beneplacitum injunctum miniſterium perficere, & ab omni tentationum incurſu præmuniri, & præſervari merear. In Nomine Patris ✝ & ✝ Filij, & Spiritûs ✝ Sancti, Amen.

Poſt Adminiſtrationem.

DOmine JESU Chriſte Fili Dei vivi, ſuſcipe hoc obſequij mei miniſterium in amore illo ſuperdigniſſimo, quo beatam Mariam Magdalenam, & omnes ad te confugientes peccatores abſolviſti: Et quidquid in Sacramenti hujus miniſtratione negligenter, minúſve dignè perfeci, ut per te ſupplere, & ſatisfacere digneris, oro. Omnes, & ſingulos, qui mihi modò confeſſi ſunt, commendo dulciſſimo cordi tuo, rogans; ut eoſdem cuſtodias, & à maglina recidiva præſerves, atque poſt hujus vitæ miſeriam tecum ad gaudia æterna perducas, Amen.

SEMI-

SEMITA TERTIA
Sacerdotis Sacrificantis.
Præparatio ad Miſſam.

ANtiph. Ne reminiſcaris Domine, delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

In duplicibus duplicatur, & tempore paſchali additur in fine Alleluja. *Deinde dicuntur ſequentes Pſalmi.*

Pſalmus 83.

QUam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, & caro mea: exultaverunt in DEUM vivum.

Etenim paſſer invenit ſibi domum: & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus & DEUS meus.

Beati, qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco, quem poſuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur DEUS Deorum in Sion.

Domine DEUS virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe DEUS Jacob.

Protector noſter aſpice DEUS: & reſpice in faciem Chriſti tui.

Quia melior eſt dies una in atrijs tuis: ſuper millia.

Elegi abjectus eſſe in domo DEI mei: magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorũ.

Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus : gratiam, & gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum beatus homo, qui ſperat in te.

Gloria Patri, &c.

Pſalmus 84.

BEnedixiſti Domine terram tuam: avertiſti captivitatem Jacob.

Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum.

Mitigâſti omnem iram tuam: avertiſti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos DEUS ſalutaris noſter, & averte iram tuam à nobis.

Nunquid in æternum iraſcêris

nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem.

DEUS tu converſus vivificabis nos : & plebs tua lætabitur in te.

Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam : & ſalutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus DEUS: quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.

Et ſuper ſanctos ſuos : & in eos, qui convertuntur ad cor.

Veruntamen propè timentes eum ſalutare ipſius: ut inhabitet gloria in terra noſtra.

Miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi: Juſtitia, & pax oſculatæ ſunt.

Veritas de terra orta eſt : & Juſtitia de cœlo proſpexit.

Etenim Dominus dabit benig-

nignitatem: & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtitia ante eum ambulabit: & ponet in via greſſus ſuos.

Gloria Patri, &c.

Pſalmus 85.

INclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops, & pauper ſum ego.

Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum: ſalvum fac ſervum tuum, DEUS meus, ſperantem in te.

Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die: lætifica animam ſervi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quoniam tu Domine ſuavis, & mitis: & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe Domine ora-

tionem meam: & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te: quia exaudiſti me.

Non eſt ſimilis tui in Dijs Domine: & non eſt ſecundùm opera tua.

Omnes gentes, quaſcunque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: Tu es DEUS ſolus.

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia

Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me: & eruiſti animã meam ex inferno inferiori.

Deus iniqui inſurrexerunt ſuper me, & Synagoga potentium quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo.

Et tu Domine DEUS miſerator & miſericors: patiens, & multæ miſericordiæ, & verax.

Reſpice in me, & miſerere mei: da imperium tuum puero tuo; ſalvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonũ, ut videant, qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adjuviſti me, & conſolatus es me.

Gloria Patri, &c.

Pſalmus 155.

CRedidi propter quod locutus ſum: ego autem humiliatus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus, quæ retribuit mihi?

Calicem ſalutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.

O Domine, quia ego ſervus tuus: ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis: & Nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam

in

in conſpectu omnis populi ejus: in atrijs domus Domini, in medio tui Jeruſalem.

Gloria Patri, &c.

Pſalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit.

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina uſque ad noctem: ſperet Iſrael in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſrael: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, & Filio &c.

Repetitur Antiphona.

NE reminiſcaris Domine, delicta noſtra, vel parentum noſtrorum: neque vindictam ſumas de peccatis noſtris. *Temp. Paſch.* Alleluja.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Ego dixi, Domine miſerere mei.

℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

℣. Convertere Domine aliquantulum.

℟. Et

℟. Et deprecare ſuper ſervos tuos.

℣. Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos.

℟. Quemadmodum ſperavimus in te.

℣. Sacerdotes tui induantur Juſtitiam.

℟. Et Sancti tui exultent.

℣. Ab occultis meis munda me Domine.

℟. Et ab alienis parce ſervo tuo.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

AUres tuæ pietatis, mitiſſime DEUS, inclina precibus noſtris, & gratiâ Sancti Spiritûs il-

lumina cor noſtrum : ut tuis myſterijs dignè miniſtrare ; teque æterna charitate diligere mereamur.

DEUS, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum : purifica per infuſionem ſancti Spiritûs cogitationes cordis noſtri : ut te perfectè diligere, & dignè laudare mereamur.

Ure igne ſancti Spiritûs renes noſtros, & cor noſtrum Domine: ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus.

Mentes noſtras, quæſumus Domine, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit Filius, veritatem.

Adſit nobis, quæſumus Domine, virtus ſpiritûs Sancti: quæ

&

& corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adverſis.

DEUS, qui corda fidelium ſancti Spiritûs illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere.

Conſcientias noſtras, quæſumus Domine, viſitando purifica: ut veniens Dominus noſter JESUS Chriſtus filius tuus, paratam ſibi in nobis inveniat manſionem; qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs ſancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Orationes ante Miſſam

Pro opportunitate Sacerdotis.

DEUS Pater omnipotens, ego indignus peccator accedo

cedo ad Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini noſtri JESU Chriſti unigeniti Filij tui, tanquam immundus ad fontem miſericordiæ. Ideo precor tuæ potentiæ immenſitatem, ut digneris meam purificare fœditaté, & me ad dilectionem inflammare, quatenus tantâ munditiâ, & devotione Sacroſanctum Sacrificium Miſſæ celebrare valeam, ut tibi cedat ad honorem, mihi, & proximo ad ſalutem.

Domine JESU Chriſte, Sacerdos, & Rex æterne, per meritum tuæ Paſſionis amariſſimæ, atque pretioſi Sanguinis effuſionem, concede mihi miſero peccatori, & indigno Sacerdoti, myſterium Corporis & Sanguinis tui debitâ reverentiâ, & puritate conſcientiæ celebrare, ut tibi fiat ad laudé,

&

& ad animæ meæ, proximique mei charitatis, & omnium virtutum incrementum.

Spiritus ſancte DEUS, qui in virtute tua mirabiliter uterum beatiſſimæ Virginis MARIÆ fœcundâſti: viſita me famulum tuum gratiâ ſalutari: ut Corpus Domini mei JESU Chriſti, virtute tua conceptum, & ex MARIA Virgine natum, tam devotè valeam conficere; ut ejus myſterio obtineam vitam æternam, Amen.

Oratio ſancti Bonaventuræ.

ECce cœleſtis Pater, recolens mortem illam unigeniti Filij tui Domini noſtri JESU Chriſti: offero tibi hanc hoſtiam, quã ipſe obtulit pro mea, & totius mundi ſalute. Ecce ad altare tuæ Majeſtatis transmitto oblatio-

tionem vivam, quam tu in miſeratione multa miſiſti ad altare crucis immolandam pro nobis. Recordare ergo illius ſacroſanċti ſudoris, quaſi guttæ Sanguinis decurrentis in terram. Reſpice illam virgineam carnem verberibus crudeliter flagellatam, colaphis, & alapis cæſam, tumoribus lividam, ſputis maculatam, Sanguine cruentatam, ſpinis perforatam, clavis confixam, lanceâ vulneratam. Illa ergo pietas, quæ filium tuum traxit, & vicit, ut in ſtatêra crucis totius mundi peccata librares; ipſa te cogat, Pater miſcreré nobis miſeris. Reſpice, obſecro, non noſtra peccata, ſed in faciem Chriſti tui: non enim in juſtificationibus noſtris preces noſtras proſternimus, ſed in

mul-

multitudine miſerationum tuarum.

Ad Beatam Virginem.

O Mater pietatis, & miſericordiæ, beatiſſima Virgo MARIA! ego miſer, & indignus peccator, ad te confugio toto corde, & affectu: & precor pietatem tuam, ut ſicut dulciſſimo Filio tuo in Cruce pendenti adſtitiſti, ita & mihi miſero peccatori & ſacerdotibus omnibus hîc, & in tota Sancta Eccleſia hodie offerentibus aſſiſtere digneris: ut tuâ gratiâ adjuti dignam, & acceptabilem hoſtiam in conſpectu ſummæ, & individuæ Trinitatis offerre valeamus, Amen.

Ad Sanctos Patronos.

SAncte Angele Cuſtos meus fidelis, tuque B. Pater Franciſce,

ciſce, vosque amantiſſimi beati Patroni mei NN. veſtra ſanctitate, & puritate me adornate, ut hoc ſacroſanctum Sacrificium Miſſæ ſanctè, & purè celebrare valeam. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Ad Sanctum, vel Sanctam, cujus Feſtum celebratur.

O Sancte N. vel ſancta N. cujus hodie memoriam celebramus in terris. Ego fragilis peccator, de tuis meritis confidens, intendo hoc manè offerre ſacroſanctũ Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini noſtri JESU Chriſti, ad honorem, & gloriam DEI omnipotentis, & tui; pro mea, & omniũ fideliũ vivorum, & mortuorũ ſalute. Precor ergò te humiliter, & devotè: ut pro me intercedere digneris,

ut tantum ſacrificium dignè, & acceptabiliter offerre, & eum tecum, & cum omnibus electis ejus æternaliter laudare, & cum eo regare valeam, Amen.

Si ſint plures ſancti, dicatur in numero plurali.

Efficax intentio celebrantis.

DOmine DEUS omnipotens, qui cum unigenito tuo, & ſpiritu Sancto in Trinitate perfecta unus es DEUS, vivus, & verus, qui per tuam infinitam charitatem dediſti nobis unigenitum Filium tuum, atque ut hìc offerretur pro ſalute generis humani, voluiſti: ego homuncio viliſſimus, terræ vermiculus abjectiſſimus, creatura deſpectiſſima, ingratiſſimus, maximus, & miſerrimus peccator, ſpiritu egenus, & idoneis

neis affectibus deſtitutus, cele-brandi vero munere longè in-digniſſimus, accedam ad altare DEI, ut offeram Sacrificium in-cruentum Corporis & Sangui-nis Domini noſtri JESU Chriſti, ad laudem, gloriam, & bene-placitum Sanctiſſimæ Trinita-tis, Patris, & Filij, & Spiritûs ſan-cti, ad honorem quoque vitæ, Paſſionis, ac Mortis, & glorioſæ Reſurrectionis, atque Aſcenſio-nis amantiſſimi Domini mei JESU Chriſti: ad gloriam & ve-nerationem Sacratiſſimæ Ma-tris immaculatæ Virginis MA-RIÆ, omnium cœleſtium An-gelorum, potiſſimùm ſancti Ar-changeli Michaelis, S. Angeli mei Cuſtodis, omniumque San-ctorum & Sanctarum, ut illis proficiat ad honorem, nobis au-

tem

tem ad ſalutem, & illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris.

Itaque hoc Sacrificium offero divinæ Majeſtati tuæ, & omnia totius mundi Sacrificia in unione iſtius infinitæ Charitatis, quâ ipſe dediſti unigenitum tuum, & in unione illius divinæ intentionis, quâ Chriſtus ſeipſum obtulit in cœna ultima, & Cruce ſancta, & defacto à ſancta Romana Eccleſia offertur, conſecratur, ac ſumitur: in gratiarum actionem pro omnibus beneficijs, donis, gratijs, & prærogativis humanitati JESU, Virgini Sacratiſſimæ MARIÆ, omnibusque Beatis, ac Sanctis; totique generi humano collatis.

Similiter offero hoc Sacrificium

um pro me indigniſſimo, miſerrimo, & graviſſimo peccatore, tam enixè, quàm poſſú, pro meis præteritis, præſentibus, ac futuris animæ, & corporis neceſſitatibus, in remiſſionem & ſatisfactionem omnium peccatorum meorum, quæ commiſi in primo rationis uſu uſque modo, cogitatione, verbo, opere, & omiſſione, de quibus ex intimo corde doleo propter amorem tui, ſpero de infinita Miſericordia tua veniam, & propono tua annuente ope, in qua omnis mea poſita fiducia, non offendere Te amplius ſcienter, deliberatè, & ex propoſito.

Offero etiam hoc Sacrificium in emendationem vitæ meæ, ac mei ipſius, tuiq́ue notitiam perfectam, hîc per gratiam, ibi per glo-

gloriam comparandam. Item in gratiarum actionem pro omnibus beneficijs, generalibus & particularibus, ſpiritualibus, & temporalibus, jam inde à creatione mea uſque ad præſens momentum acceptis.

Offero quoque hoc Sacrificium in Satisfactionem omnium peccatorum totius Mundi, & pro omnibus neceſſitatibus ſpiritualibus, & temporalibus proximorum meorum, pro ſanctæ Romanæ Matris Eccleſiæ Catholicæ exaltatione, protectione, ac conſervatione, hæreſum, atque ſchiſmatum extirpatione, pro Chriſtianorum Regum ac Principum, omniumque veræ Fidei, & Religionis Cultorum, & Zelatorum, ſancta & ſtabili concordia, pace, ac unione,

Religioſorum Ordinum conſervatione, ſingulariter noſtri Seraphici Ordinis commodo, augmento, ac perfecta votorum noſtrorum redditione, pro Sanctiſſimo Pontifice noſtro N. & Imperatore N. & omnibus utriusque ſtatûs Superioribus, ut gregem ſuum dirigant in viâ ſalutis æternæ, & proſperentur contra hoſtes, & inimicos Fidei noſtræ.

Offero etiam, & rogo pro Protectore & Prælatis Generalibus Ordinis noſtri, Provinciali noſtro, & alijs noſtræ Provinciæ Superioribus, cœterisque totius Ordinis noſtri Officialibus & Fratribus univerſis, nec non Sororibus vivis ac defunctis. Similiter tibi Domine offero & ſupplico pro meis parentibus,

Con-

Conſanguineis, propinquis, amicis, confœderatis, Benefactoribus in corporalibus & ſpiritualibus, tam meis, quàm Ordinis noſtri Seraphici, ſpecialiter hujus Conventûs N. Item pro omnibus utriuſq; ſexûs perſonis, quarum confeſſionem unquam excepi, atque pro omnibus meis amicis, & inimicis. Pro omnibus inſuper, quibus me peculiariter obligatum nôſti, vel qui mihi comendati ſunt, aut commendari ſolent, aut qui precum mearum & Miſſæ Suffragia implorant, aut quibus ipſe promiſi ſpecialem in precibus meis & Sacrificijs memoriam facere, & qui me in ſuis recommendatum habent, vel habuerunt, ſive adhuc vivant, ſive jam ſæculo defuncti ſint, & quibus fui aliquan-

do gravamen, ſcandalum, vel occaſio peccandi, pro animabus in purgatorij flammis exiſtentibus, & omnibus fidelibus in pace defunctis.

Demum pro illis omnibus vivis, atque defunctis, pro quibus tu vis, aut ſcis, & Dominus noſter JESUS Chriſtus Filius tuus unicè dilectus, & ejus Beatiſſima Mater, & Virgo MARIA ſciunt, & volunt me debere orare, & ſacrificare, ſic oro, obſecro, ac orare, & obſecrare, conſecrare, ac ſacrificarc intendo, ac propono juxta intentionem ſanctæ Matris Eccleſiæ. Specialiter autem offero hoc Sacrificium juxta intentionem Superioris mei, & cum intentione lucrandi, & acquirendi omnes, quas poſſum, indulgentias. In nomine

Pa-

Patris & Filij, & Spiritûs Sancti Amen.

Oblatio ſpecialis pro defunctis.

ROgo etiam te, Domine ſancte Pater, ſpecialiter pro ſpiritibus fidelium defunctorum: ut ſit illis ſalus, ſanitas, gaudium, & refrigerium hoc magnum pietatis Sacramentum. Domine Deus meus, ſit illis hodie magnum & plenum convivium de te pane vivo, qui de cœlo deſcendiſti, & das vitam mundo de tua carne ſancta, & benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollit peccata mundi, quæ de ſancto, & glorioſo beatæ Virginis Mariæ utero eſt aſſumpta, & de ſpiritu ſancto concepta, ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo ſacratiſſimo latere ema-

navit: ut inde refecti, & ſatiati, refrigerati, & conſolati exultent in laude, & gloria tua. Qui vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum, Amen. *Pater noſter, Ave Maria.*

Gregorius XIII. Pont. Max. conceſſit cuilibet Sacerdoti ante Miſſam dicenti infraſcripta verba 50. annorum indulgentias.

EGo volo celebrare Miſſam & conficere corpus & Sanguinem Domini noſtri Jesu Chriſti juxta ritum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ: Ad laudem Dei omnipotentis, totiusque Curiæ triumphantis, ad utilitatem meam, totiusque Curiæ militantis, pro omnibus, qui ſe commendaverunt orationibus meis in genere, & in ſpecie, & pro felici ſtatu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.

Gau-

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, ſpatium veræ pœnitentiæ, gratiam & conſolationem ſancti Spiritûs, perſeverantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens, & miſericors Dominus, Amen.

Aliæ Orationes ante Miſſam vel Communionem.

S. BONAVENTURÆ.

AD menſam dulciſſimi Convivij tui pie Domine JESU Chriſte, ego peccator de proprijs meritis nihil præſumens, ſed de tua confidens miſericordia & bonitate accedere vereor & contremiſco. Nã cor & corpus habeo multis criminibus maculatum; mentem, & linguam non cautè cuſtoditam. Ergo ô pia Deitas! ô tremenda Majeſtas! ego miſer inter anguſtias

deprehenſus ad te fontem miſericordiæ recurro, ad te feſtino ſanandus: ſub tuam protectionem fugio, & quem judicem ſuſtinere nequeo, Salvatorem habere ſuſpiro. Tibi Domine plagas meas oſtendo, tibi verecundiam meam detego: ſcio peccata mea multa, & magna, pro quibus timeo; ſpero tamen in miſericordias tuas, quarum non eſt numerus: Reſpice ergo in me oculis miſericordiæ tuæ, Domine JESU Chriſte, Rex æterne, DEUS, & homo, crucifixus propter hominem: exaudi me ſperantem in te; miſerere mei pleni miſerijs, & peccatis; tu, qui fontem miſerationis nunquam manare ceſſabis. Salve ſalutaris victima, pro me, & omni genere humano in patibulo cru-

cis oblata ; ſalve nobilis & pretioſe Sanguis de vulneribus Crucifixi Domini mei JESU Chriſti profluens , & peccata totius mundi abluens. Recordare Domine creaturæ tuæ , quam tuo pretioſo Sanguine redemiſti. Pœnitet me peccâſſe , cupio emendare , quod feci. Aufer ergo à me , clementiſſime Pater, omnes iniquitates , & peccata mea : ut purificatus mente , & corpore dignè deguſtare merear Sanctа Sanctorum, & concede , ut ſancta prælibatio Corporis & Sanguinis tui, quam ego indignus ſumere intendo , ſit peccatorum meorum remiſſio , ſit delictorum perfecta purgatio , ac bonorum ſenſuum regeneratio , operumque tibi placentium ſalubris efficacia , animæ

quoque, & corporis contra inimicorum meorum inſidias firmiſſima tuitio, Amen.

S. THOMÆ AQUINATIS.

OMnipotens ſempiterne DEus, ecce accedo ad Sacramentum unigeniti Filij tui Domini noſtri JESU Chriſti: accedo tanquam infirmus ad Medicum vitæ, immundus ad fontem miſericordiæ, cœcus ad lumen claritatis æternæ, pauper, & egenus ad Dominum cœli & terræ. Rogo ergo immenſæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris fœditatem, illuminare cœcitatem, ditare paupertatem, veſtire nuditatem: ut Panem Angelorum, Regem Regum, Dominum Dominantium, tantâ ſuſcipiam reverentiâ, & humilitate;

tate; tantâ contritione & devotione; tantâ puritate, & fide, tali propoſito, & intentione, ſicut expedit ſaluti animæ meæ. Da mihi, quæſo, Dominici Corporis, & Sanguinis non ſolùm ſuſcipere Sacramentum, ſed etiam rem & virtutem Sacramenti. O Mitiſſime Deus! da mihi corpus unigeniti Filij tui Domini noſtri JESU Chriſti, quod traxit de Virgine MARIA, ſic ſuſcipere: ut corpori ſuo myſtico merear incorporari, & inter ejus membra connumerari. O Amantiſſime Pater! concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via ſuſcipere propono, revelata tandem facie perpetuò contemplari. Qui tecum vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

GRATIARUM ACTIO
Poſt Miſſam.

A*Ntiphona.* Trium puerorum cantemus hymnum: quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Quæ Antiphona in Feſtis duplicibus tantùm duplicatur, & tempore paſchali additur in fine Alleluja.

Canticum trium puerorum. Dan. 3.

BEnedicite omnia opera Domini Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula, &c.

Pſalmus 150.

LAudate Dominum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus, &c.

Deinde repetitur Antiphona.

TRium puerorum cantemus hymnum; quem cantabant Sancti in Camino ignis benedicentes Dominum. *Temp. Paſch.* Alleluja.

Deinde

Deinde Sacerdos dicit.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter, &c.

℣. Et ne nos in ducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua.

℟. Et Sancti tui benedicant tibi.

℣. Exultabunt Sancti in gloria.

℟. Lætabuntur in cubilibus ſuis.

℣. Non nobis, Domine, non nobis.

℟. Sed Nomini tuo da gloriam.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEUS, qui tribus pueris mitigâſti flammas ignium: concede propitius; ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere; ut cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

Da nobis quæſumus Domine, vitiorum noſtrorum flammas extinguere; qui beato Laurentio tribuiſti tormentorum ſuorum incendia ſuperare. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oratio poſt Miſſam.

Continens ſequentes actus 1. profundæ orationis. 2. Gratiarum actionis.

nis. 3. Amoris divini. 4. Contritionis. 5. Oblationis ſui ipſius, & totius vitæ.

O Domine Jesu Chriſte, unice Salvator mi! ex toto corde meo, cum omni poſſibili humilitate, & reverentia, & devotione adoro te, Deus meus, & omnia. Et infinitis modis gratias ago pro tanto beneficio, quòd me hujus ſacroſancti Sacrificij Miſſæ miniſtrum ordinâſti. Quoniam autem dignus es omni amore, Domine, ideo amo te ſuper omnes creaturas. Et valde doleo, quòd te neque amaverim huc uſque, neque adhuc te tantùm amem, quantùm tu amari dignus es. In hujus ergo mei defectus ſupplementum offero tibi Jesu benigniſſime illam adorationem, illas

gra-

gratias, amplexus, affectus amoris, reverentiam, & gratitudinem, quam tua Sanctiſſima Mater, & Virgo MARIA, & omnes Sancti, atque ſervi tui tibi obtulerunt, & hodie etiam offerunt, cum univerſa Sancta Eccleſia Catholica, tua dilecta Sponſa.

Doleo, mi Domine, ſupra omnem modum, quòd qualicúnque modo in aliquo Majeſtati tuæ offenſam dederim: vehementer angor, quòd non tantum dolorem inde ſentiam, quantum meretur tua bonitas, & Majeſtas; à qua ego miſer peccator precor humillimè omnem delictorum meorum condonationem, ac remiſſionem per merita tuæ Sanctiſſimæ paſſionis. Viciſſim autem cum eadem offero ſupplex, & indignus ſervus tuus, totum

totum meipſum, meos labores, & miſerias, quaſcunq́ue amore tui vel aggrediar, & exantlabo, vel etiam acerbè perferam toto decurſu vitæ meæ, in ſatisfactionem, & remiſſionem omnium peccatorum meorum. Quemadmodum autem confido in infinita bonitate, & clementia tua fore, ut indulgeas peccatis meis: ita precor eandem clementiam tuam, ut mihi uberem gratiam errata corrigendi, & in ſancto ſervitio tuo uſque ad finem perſeverandi voluntatem largiaris. Amen.

Ad B. Virginem.

O Sacratiſſima! ô ſereniſſima, & inclyta glorioſa Virgo Maria! quæ Creatorem omniũ creaturarum in tuo ſacratiſſimo utero fuiſti digna portare, ſoláque,

que virgineo ubere lactare: cujus veraciſſimum, ſacrumque Corpus, & Sanguinem ego indignus peccator modò ſumere præſumpſi: tuam humiliter precor miſericordiam; ut ad ipſum pro me peccatore intercedere digneris: ut quidquid in hoc tam ineſtabili, ac digniſſimo Sacrificio per me indignum ignoranter, vel negligenter, aut accidentaliter, ſeu irreverenter, ſcilicet in tractando, & ſumendo, ac miniſtrando actum eſt, commiſſum, vel omiſſum, tuis ſacratiſſimis precibus indulgere dignetur idem Dominus noſter Jesus Chriſtus Filius tuus. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto, vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ad

Ad SS. Patronos.

SAncte Angele mi cuſtos fideliſſime, ſancte Pater & Patriarcha Franciſce, & ſancti Patroni mei NN. obſecro vos, adeſte mihi precibus & meritis veſtris: ut panis ille cœleſtis, & viaticum divinum, quod modò ſumpſi, contra omnes infirmitates, pericula, & inſidias inimicorum præſtet mihi robur, & tutamen: ut in fortitudine cibi iſtius ambulem per hujus mundi deſertum uſque ad montem Dei, & ibidem dulciſſima illius fruitione vobiſcum fruar, & Deum unà vobiſcum laudem per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Ad Sanctum, vel Sanctam, cujus feſtum celebratur.

O S. N.! En ſumpto Corporis & Sanguinis Domini noſtri

noſtri Jesu Chriſti Sacramento, iterum ad te venio, tuam interceſſionem, tuumq́ue patrocinium imploro: nôſti meam infirmitatem, ſcis quia in multis deliquimus nos mortales, ſcimus quia in omnibus vos Deo placetis immortales. Quare tu te mihi adjunge, rogo, & qui tuam memoriam celebro in terris, non recuſes mei reminiſci in cælis. Ecce ad thronum gratiæ ſto, gratias agens pro tam ingenti communicati Corporis, & Sanguinis Domini beneficio: ſimul rogans, ut ſaluti meæ inſerviat, quod ad totius mundi ſalutem inſtitutum eſt. Amen.

Si ſint plures Sancti, dicatur in numero plurali.

Oratio pro defunctis.

MEmento etiam Domine famu-

mu-

lorum, famularúmque tua-
m, qui nos præceſſerunt cum
no fidei, & dormiunt in ſom-
pacis, pro quibus omnibus, &
ngulis etiam offero tibi hanc
cram Hoſtiam Corporis & San-
uinis Filij tui, quam modo
umpſi, rogans, ut per ejuſdem
nfinitum valorem, & merita
omnium Sanctorum, peccata
eorum condonare, & à pœnis
eos clementer abſolvere dig-
neris. Per eundem Chriſtum
Dominum noſtrum, Amen. *Pa-
ter noſter, Ave Maria.*

Quinque puncta.

Ante vel poſt Miſſam recitanda.

I. DEteſtor, & abominor om-
nia, & ſingula peccata mea,
& omnium aliorum, commiſſa
ab initio mundi uſque in hanc
horam, & deinceps uſque ad fi-
nem

nem Mundi committenda, & ſi poſſem impedirem, per gratiam Dei, quam ſupplex invoco.

II. Laudo, & approbo omnia bona opera facta à principio Mundi uſque ad hanc horam, & deinceps uſque in finem Mundi facienda, & ſi poſſem, ea multiplicarem per gratiam Dei, quam ſupplex invoco.

III. Intendo omnia facere, dicere, & cogitare ad majorem Dei gloriam, cum omnibus illis bonis intentionibus, quas Sancti unquam habuerunt, & habebunt, vel habere poſſunt.

IV. Ignoſco, & dimitto ex toto corde omnibus inimicis meis, omnibus me calumniantibus, omnibus mihi detrahentibus, omnibus quocunque modo mihi nocentibus, vel volentibus mala.

V. Uti-

. Utinam omnes homines
re poſſem moriendo pro
alis, lubenter id facerem per
am DEI, quam ſupplex in-
, & ſine qua nihil poſſum.

liæ Orationes poſt Miſſam
el Sacram Communionem
S. BONAVENTURÆ.

Ransfige, dulciſſime Domine JESU, medullas, & viſcera animæ meæ ſua-
no, ac ſaluberrimo amoris
ulnere, vera, ſerenaque, &
tolica charitate, ut langue-
t liquefiat anima mea ſolo
er amore, & deſiderio tui;
ncupiſcat, & deficiat in a-
ua; cupiat diſſolvi, & eſſe
n. Da ut anima mea te
t Panem Angelorum, re-
nem animarũ ſanctarum,
n noſtrum quotidianum
ſu-

ſuperſubſtantialem, habentem omnem dulcedinem, & ſaporem, & omne delectamentum ſuavitatis. Te, in quem deſiderant Angeli proſpicere, ſemper eſuriat, & comedat cor meum, & dulcedine ſaporis tui repleantur viſcera animæ meæ: Te ſemper ſitiat fontem vitæ, fontem ſapientiæ, & ſcientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domûs Dei: te ſemper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te veniat, te meditetur, te loquatur, ac omnia operetur in laudẽ & gloriam Nominis tui, cum humilitate & diſcretione, cum dilectione & delectatione, cum facilitate & affectu, cum perſeverantia uſque in finem: & tu ſis ſemper ſolus ſpes mea, tota

fidu-

ıcia mea, divitiæ meæ, dele-
tio mea, jucunditas mea,
ıdium meum, quies & tran-
llitas mea, pax mea, ſuavitas
a, odor meus, dulcedo mea,
ıs meus, refectio mea, reſu-
m meum, auxilium meum,
entia mea, portio mea, poſ-
o mea, theſaurus meus: in
fixa, & firma, & immobili-
ſemper ſit radicata mens
, & cor meum. Amen.

S. THOMÆ AQUINATIS.

GRatias tibi ago, Domine Sancte, Pater Omnipo-
, æterne DEUS; qui me pec-
rem indignum famulum
n, nullis meis meritis, ſed
dignatione miſericordiæ
ſatiare dignatus es pretioſo
pore, & Sanguine Domini
ri JESU Chriſti. Et precor te,

 ut

ut hæc ſancta communio nòn ſit mihi reatus ad pœnam; ſed interceſſio ſalutaris ad veniam: ſit mihi armatura Fidei, & ſcutum bonæ voluntatis: ſit vitiorum meorum evacuatio, concupiſcentiæ, & libidinis exterminatio; charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ, omniúmq; virtutum augmentatio; contra inſidias inimicorum omnium tam viſibilium, quàm inviſibilium firma defenſio: motuum meorum tam carnalium, quàm ſpiritualium perfecta quietatio; in te uno, ac vero Deo firma adhæſio, atque finis mei felix conſummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo, & Spiritu S.cto Sanctis tuis

es

es lux vera, ſatietas plena, gau-
dium ſempiternum, jucunditas
conſummata, & felicitas perfe-
cta. Per eundem Chriſtum Do-
minum noſtrum. Amen.

AD B. VIRGINEM.

ASpice me, ô Domina! cum
Filio tuo in ſinu meo, ſuſci-
pe me Sanctiſſima Virgo, pro
empore enim dignus ſum com-
parere coram oculis tuis, ge-
tans in pectore meo dulciſſimũ
Filium tuum. Reſpice me, ô Do-
mina mea, quoniam unitus ſum
lio tuo Jesu, & cum unitus ſim
Filio tuo, filius tuus ego quoque
um. En Domina mea, ego ſum
lius tuus, & tu Mater mea: O
Mater Dei! ô Mater mea Virgo
Maria! licèt indignè modò
umpſi Corpus, & Sanguinem
ulciſſimi Filij tui Jesu! aſpice

tamen nunc me dulciſſima Mater, offer me cum Filio tuo SS.mæ Trinitati, & ora eam pro me; ut propter Sacroſanctum Corpus & Sanguinem Filij tui mihi ſanctiſſimum ſuum amorem infundat, & ab omnibus malis me, & omnes fideles defendat, mihique ſanctam humilitatem, obedientiam, paupertatem, caſtitatem cũ cæteris virtutibus concedat, atque poſt hanc miſeram vitam preducat me ad vitam æternam. Amen.

PRAXIS DEVOTA

Salutandi Venerabile Sacramentum altaris.

SAlve benedicte JESU, benedic indigno ſervo tuo: ut per te benedictionem referat, qui de ſe maledictionis reus eſt, & per te ſalvus ſit, qui per ſe damnabilis eſt.

Salve myſterium Fidei, & Sacramentum fidelium: credo te, dilecte Jesu, hic præſentem eſſe eundem, qui de Spiritu Sancto conceptus, ex Maria Virgine natus, in cruce mortuus, & à morte redivivus, in cœlum deinde es elevatus. Huic fidei ſubmitto intellectum meum, eumque tibi offero captivum; in hac fide cupio vivere, & deſidero mori.

Salve Sacramentum ſpei: ſpero in te ſalutis meæ alimentum; O Deus ſpei meæ! iſto me Sacramento ſpei moriturum refice, ut non confundar in æternum.

Salve Sacramentum amoris, amo te ſummum bonum in terris, quo mihi conceſſum eſt frui ſalutariter, & ut amare te nunquam deſinam, amorem meum

tuo ipſo amoris pabulo inflamma.

Salve panis Angelorum, da, ut vivam Angelicè, qui eſcâ vermium nutrior.

Salve eſca timentium Dominum, ſalutarem in me timorem nutri, quo te reverear ut Patrem, timeam ut judicem, & ne offendam Patrem, nec irrîtem judicem.

Salve vita pauperum, panis egentium; dita me virtutum meritis, & refice gratiæ donis.

Salve Verbum Caro factum, habita in me: & ut dignè habites, per gratiam tuam munda me.

Salve Deus abſcondite, & Salvator, illumina mentis meæ oculos; ut te abſconditum videam, & ſalvatorem experiar.

Salve

Salve panis filiorum, ſatia me, ut ſim filius tuus: & da, ut ſemper te eſuriam.

Salve magnum ſalutis meæ pretium, non patere, obſecro, ut per me illud, quod tantis te amoris, & doloris conſtitit impenſis, fruſtra ſit erogatum.

Salve viaticum in Domino morientium; dona, ut de te ſemper vivam, ſine te non moriar: hoc rogo te per illum, qui te hîc detinet, ſalutis meæ amorem.

Salve pignus futuræ gloriæ, utinam ita hoc utar pignore, ut gloriâ non excidam.

Laus SS. Sacramenti.

LAudetur Sanctiſſimum Sacramentum tot laudibus, quot in cœlo ſtellæ, in igne ſcintillæ, in aëre atomi, in mari guttulæ, in terra pulveres, quot

vere flores, æſtate gramina, autumno folia, hyeme nives, & grandines, quot corporeæ in univerſo creaturæ: quia dignus es Domine univerſorum, qui ſub corporeis vini paniſque ſpeciebus lates, verè tu es Deus abſconditus. *Iſaiæ* 45.

Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum tot laudibus, quot ullo opere exhiberi, quot ore proferri, corde omnium hominũ unquã excogitari potuere, vel poſſunt, quia dignus es tu Domine, Pater noſter, qui nos cibas, & potas quotidie, cujus ſemel redempti ſumus pretioſo Sanguine, quaſi agni immaculati. 1. *Pet.* 1.

Laudetur SS. Sacramentum tot laudibus, quot omnes Angeli, quot Sanctiſſima Trinitas ſuâ potentiâ de promere, ſuâ ſapientia

entia concipere, ſuâ bonitate optare poteſt, omni modo, omni loco, omnique tempore in æternum, & ultra: quia dignus es Domine Deus meus, qui mihi donas non tum Humanitatem, ſed etiam Divinitatem tuam, Dominus meus & Deus meus verè laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula. *Dan.* 3.

LITANIÆ
De Venerabili Sacramento.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.

Pater de cœlis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Panis vivus de cœlo deſcendens,
Deus abſconditus & Salvator,
} Miſerere nobis.

 Fru-

Frumentum electorum,
Vinum germinans Virgines,
Panis pinguis & deliciæ Regum,
Juge ſacrificium,
Oblatio munda,
Agnus abſque macula,
Menſa puriſſima,
Angelorum eſca,
Manna abſconditum,
Memoria mirabilium Dei,
Panis ſuperſubſtantialis,
Verbum caro factum,
Habitans in nobis,
Calix benedictionis,
Myſterium Fidei,
Cœleſte antidotum, quo à peccatis præſervamur,
Stupendum ſuper omnia miraculum,
Sacratiſſima Dominicæ paſſionis commemoratio,

} Miſerere nobis.

Do-

Donum tranſcendens omnem plenitudinem,
Memoriale præcipuum divini amoris,
Sacroſanctum, & auguſtiſſimum myſterium,
Pharmacum immortalitatis,
Tremendum ac vivificum Sacramentum,
Panis omnipotentiâ Verbi caro factus,
Incruentum Sacrificium,
Cibus, & Conviva,
Dulciſſimum convivium, cui aſſiſtunt Angeli miniſtrantes,
Offerens & oblatio,
Spiritualis dulcedo, in proprio fonte deguſtata,
Refectio animarum ſanctarum,

} Miſerere nobis.

Viaticum in Domino morientium, miſerere nobis.

Pignus futuræ gloriæ, miſerere nobis.

Propitius eſto, Parce nobis Domine.

Propitius eſto, Exaudi nos Domine.

Ab indigna Corporis & Sanguinis tui ſuſceptione, Libera nos Domine.

A concupiſcentia carnis, Libera nos Domine.

A ſuperbia vitæ,
Ab omni peccandi occaſione,
Per deſiderium illud, quo hoc Paſcha cum Diſcipulis manducare deſiderâſti.
Per ſummam humilitatem, quâ Diſcipulorum pedes lavìſti.
} Libera nos Domine.

Per

Per ardentiſſimam charitatem, quâ hoc divinum Sacramentum inſtituiſti,
Per Sanguinem tuum pretioſum, quem nobis in altari reliquiſti,
Per quinque vulnera hujus tui corporis ſacratiſſimi, quæ pro nobis ſuſcepiſti,
} Libera nos Domine.

Peccatores. Te rogamus audi nos.

Ut nobis fidem, reverentiam & devotionem hujus admirabilis Sacramenti augere, & conſervare digneris,
Ut ad frequentem uſum Euchariſtiæ, per veram peccatorum confeſſionem nos perducere digneris.
Ut nos ab omni hæreſi, per-
} Te rogamus audi nos.

fidia, ac cordis cœcitate liberare digneris.
Ut ſanctiſſimi hujus Sacramenti pretioſos, & cœleſtes fructus nobis impertiri digneris.
Ut in hora mortis noſtræ hoc cæleſti Viatico nos confortare, & munire digneris,
Fili Dei, } Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.

Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. *Pater noſter, &c.*

℣. Me-

℣. Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus.

℟. Eſcam dedit timentibus ſe.

Oremus.

DEus, qui nobis ſub Sacramento mirabili, Paſſionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue quæſumus: ita nos Corporis & Sanguinis tui ſacra myſteria venerari; ut Redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Tres Orationes

Pro lucrandis Indulgentijs

Oratio prima pro Eccleſia.

O Benigniſſime Domine Jesu Chriſte, qui Sanctam Eccleſiam tuam in ſponſam elegiſti, eamque tanto dilexiſti amore, quod vitam & Sanguinem tuum pre-

pretioſum pro ea profuderis: rogamus clementiam tuam, ut eam purificare, cuſtodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum. Aſpice ô Jesu clementiſſime, quàm pertinaciter ab hoſtibus tuis oppugnetur: aſpice, quàm violenta rabie portæ inferi adversùs eam conſurgant: nè, quæſo, permittas, ut adversùs eam prævaleant: ſed defende, & conſerva eam in magnitudine brachij tui, intuere etiam, ô Jesu piiſſime! quantâ negligentiâ, & indecore divina officia peragantur; quàm ſacer cultus tuus jaceat; quamq́ue exigua ſcientia Dei ſit in terra. Mitte igitur ferventes, & indefeſſos operarios in meſſem tuã, qui eam excolant, promoveant, & in horrea tua congregent.

Con-

Concede etiam univerſis fidelibus tuis, ut Eccleſiæ tuæ ſanctæ obediant, ejuſque præcepta ſervent, & in omni bono de die in diem ad Majorem tui nominis gloriam proficiant. Amen.

Pro Extirpatione Hæreſum.

O Pientiſſime Domine Jesu Chriſte, verum lumen ad illuminationem gentium! Obſecramus clementiam tuam, ut reſpicias ſuper interitum tot animarum, quæ fraude ſerpentis antiqui & deceptione hæreticorum in profundas errorum tenebras inciderunt. Recordare ô Chriſte Jesu! quot laborioſa itinera pro ſalute eorum aſſumpſeris: rogamus igitur per virtutem amariſſimæ Paſſionis, & Mortis tuæ; ut execrandas

illas hæreſes funditus extinguere, atque indurata hæreticorum corda ad veram fidem convertere digneris. Amen.

Pro Concordia Principum.

O Dulciſſime JESU, author, & amator unitatis, & pacis! Rogamus Clementiam tuam: ut omnibus Principibus Chriſtianis pacem, & veram concordiam donare digneris: ut Eccleſia tua tranquilla ſemper devotione lætetur. Recordare pie JESU, quam multus innoxius ſanguis per continuam bellorũ tempeſtatem effundatur. Aſpice, quàm multi in extremas corporis, & animæ anguſtias dejiciantur. Ah! JESU amantiſſime, qui pacem ſummè amaſti, eamque diſcipulis tuis toties apprecatus es: Rogamus te per ineſ-

ineffabilem cordis tui amorem, ut Reges, & Principes Chriſtianos pacificare, & arctiſſimo concordiæ vinculo colligare digneris: ut plebs tua in pace, & quiete gubernari, & in tuo ſancto ſervitio confortari valeat. Quod nobis præſtare digneris per infinitam miſericordiam, & bonitatem tuam. Amen.

Subjungantur ſex Pater, & Ave, cum totidem Gloria Patri &c & ſymbolo Apoſtolico.

SEMITA QUARTA
Cultus SS. Trinitatis.

LITANIÆ
AD SANCTISSIMAM TRINITATEM.

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.

Pater

Pater, ex quo omnia, Miſerere nobis.

Fili, per quem omnia,
Spiritus ſancte, in quo omnia,
Sancta & individua Trinitas, unus Deus,
Vera & una Trinitas,
Una & ſumma Deitas,
Sancta & indiviſa Unitas,
Unitas in ſubſtantia, & Trinitas in perſonis,
Una & par potentia,
Una & coæterna Majeſtas,
Una & æqualis gloria,
Pater Creator,
Fili Redemptor,
Spiritus Sanctus ex utroque procedens,
Una ſancta creatrix, & gubernatrix omnium Trinitas,

} Miſerere nobis.

Im-

Immenſa æterni Patris potentia,
Inſcrutabilis Filij Dei ſapientia,
Efficaciſſima Spiritus ſancti bonitas,
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.
Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis,
In quo vivimus, movemur, & ſumus,
Ex quo, in quo, & per quem ſunt omnia,
Rex ſæculorum immortalis & inviſibilis,
Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob,
Qui eras, qui es, & qui venturus es,

Miſerere nobis.

Pater

Pater, verbum, & Spiritus ſanctus unus Deus, Miſerere nobis.

Propitius eſto, Parce nobis ſanctiſſima Trinitas.

Propitius eſto, Exaudi nos ſanctiſſima Trinitas

Ab omni malo, Libera nos ſanctiſſima Trinitas.

Ab omni peccato,
A maledictione perpetua,
Per fortitudinem omnipotentiæ tuæ,
Per Majeſtatem gloriæ tuæ,
Per multitudinem miſerationum tuarum,
Per abundantiam bonitatis tuæ,
Per magnitudinem charitatis tuæ,
Per abyſſum judiciorũ tuorum,
} Libera nos SS. Trinitas.

Per

Per altitudinem ſapientiæ & ſcientiæ tuæ, Libera nos SS. Trinitas.

Per divitias beatitudinis tuæ, Libera nos SS. Trinitas.

In die judicij, Libera nos SS. Trinitas.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Ut te Dominum Deum noſtrum adoremus, & tibi ſoli ſerviamus,

Ut ſanctis tuis præceptis & inſpirationibus perfectè obediamus,

Ut ex toto corde, & tota anima, & ex tota fortitudine te diligamus,

Ut proximum propter te, ſicut nos ipſos, ſincerè diligamus,

Ut ad conſpectum gloriæ

Te rogamus audi nos.

tuæ

tuæ nos perducere digneris,
Te rogamus audi nos.
Deus Genitor, Deus Genite, &
Deus ex utroque procedens,
Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata
mundi, Redde nobis Patrem
propitium.
Agnus Dei, qui tollis peccata
mundi, Propitius eſto nobis
peccatoribus.
Agnus Dei, qui tollis peccata
mundi, Dona nobis Spiritum
ſanctum.
O Beata Trinitas, audi nos
O Adoranda unitas, exaudi nos,
Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon,
Kyrie eleiſon. *Pater noſter, &c.*

℣. Benedicamus Patrem, &
Filium cum ſancto Spiritu.

℟. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

℣. Do-

℣. Domine exaudi &c.
℟. Et clamor meus, &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ Fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere; & in potentia Majeſtatis adorare unitatem; quæſumus, ut ejuſdem fidei firmitate, ab omnibus ſemper muniamur adverſis. Per Chriſtum Dñm noſtrum, Amen.

LITANIÆ
DE SS NOMINE JESU.

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos,
Pater de cœlis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Jeſu Fili Dei vivi,
} Miſerere nobis

Jeſu potentiſſime,
Jeſu fortiſſime,
Jeſu perfectiſſime,
Jeſu glorioſiſſime,
Jeſu mirifice,
Jeſu jucundiſſime,
Jeſu chariſſime,
Jeſu clarior Sole,
Jeſu pulchrior Lunâ,
Jeſu ſplendidior ſtellis,
Jeſu admirabilis,
Jeſu delectabilis,
Jeſu honorabilis,
Jeſu humillime,
Jeſu pauperrime,
Jeſu mitiſſime,
Jeſu patientiſſime,
Jeſu obedientiſſime,
Jeſu caſtiſſime,
Jeſu amator caſtitatis,
Jeſu amator pacis,
Jeſu amor noſter,

Miſerere nobis.

Jeſu ſpeculum vitæ,
Jeſu exemplar virtutum,
Jeſu decus morum,
Jeſu zelator animarum,
Jeſu refugium noſtrum,
Jeſu Pater pauperum,
Jeſu Conſolator afflictorum,
Jeſu theſaurus fidelium,
Jeſu gemma pretioſa,
Jeſu armarium perfectionis,
Jeſu bone paſtor ovium,
Jeſu ſtella maris,
Jeſu lux vera,
Jeſu ſapientia æterna,
Jeſu bonitas infinita,
Jeſu gaudium Angelorum,
Jeſu Rex Patriarcharum,
Jeſu Inſpirator Prophetarum,
Jeſu Magiſter Apoſtolorum,
Jeſu Doctor Evangeliſtarum,
Jeſu fortitudo Martyrum,

} Miſerere nobis.

Jeſu lumen confeſſorum, Miſerere nobis.

Jeſu Sponſe Virginum, Miſerere nobis.

Jeſu corona Sanctorum omnium, Miſerere nobis. *

Propitius eſto, Parce nobis Ieſu.

Propitius eſto, Exaudi nos Ieſu.

Ab omni malo, Libera nos Ieſu.

Ab omni peccato,
Ab ira tua,
Ab inſidijs Diaboli,
A peſte, fame & bello,
A transgreſſione mandatorum tuorum,
Ab incurſu omnium malorum,
Per incarnationem tuam,
Per adventum tuum,
Per nativitatem tuam,
Per circumciſionem tuam,
Per dolores tuos,

} Libera nos Jeſu.

Per

Per flagella tua,
Per mortem tuam,
Per reſurrectionem tuam,
Per aſcenſionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,
Per dulciſſimam Virginem Matrem tuam,
Per interceſſionem omnium Sanctorum tuorum, *
} Libera nos Ieſu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Ieſu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Ieſu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis Ieſu.

Ieſu Chriſte audi nos.

Ieſu Chriſte exaudi nos.

℣. Sit Nomen Domini benedictum.

℟. Et hoc nunc & uſque in ſæculum.

Oremus.

DEUS virtutum cujus eſt totum, quod eſt optimum: inſere pectoribus noſtris amorem tui Nominis, & præſta in nobis Religionis augmentum; ut, quæ ſunt bona, nutrias, ac pietatis ſtudio, quæ ſunt nutrita cuſtodias. Per IESUM Chriſtum Dominum noſtrum. Amé.

ORATIO.

Ad SS Nomen JESU.

DEUS, qui glorioſiſſimum Nomen Domini noſtri IESU Chriſti unigeniti Filij tui feciſti fidelibus tuis ſummo ſuavitatis affectu amabile, & malignis ſpiritibus tremendum atque terribile: concede propitius, ut omnes, qui hoc nomen IESU devotè venerantur in terris, ſanctæ conſolationis dulcedinem in præſenti

ſenti percipiant, & in ſuturo gaudium exultationis & interminabilis jubilationis obtineant. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

INVOCATIO.

Sanctiſſimi Nominis JESU.

O Bone JESU! ô piiſſime Ieſu! ô dulciſſime Iesu! ô Iesu Fili Mariæ Virginis! plene miſericordiâ, & pietate. O dulcis Jesu! ſecundùm magnā miſericordiā tuam miſerere mei. O clementiſſime IESU! te precor per illum Sanguinem pretioſum, quem pro peccatoribus effundere voluiſti: ut abluas omnes iniquitates meas, & me reſpicias miſerum, & indignum humiliter veniam petentem, & hoc nomen ſanctum Iesu invocantem. O nomen Iesu! no-

men dulce; nomen IESU, nomen delectabile; nomen IESU, nomen confortans: quid eſt enim IESUS, niſi Salvator? ergo IESU propter nomen ſanctum tuum eſto mihi IESUS, & ſalva me; nè permittas me damnari, quem tu de nihilo creâſti. O bone IESU! nè perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis IESU! recognoſce, quod tuum eſt, & abſterge, quod alienũ eſt. O benigniſſime IESU! miſerere mei, dum tempus eſt miſerendi, nè damnes me in tempore judicandi: quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in æternam corruptionem? non mortui laudabunt te, Domine IESU! neque omnes, qui deſcendunt in infernum. O amantiſſime IESU! ô deſideratiſſime IESU!

ô IESU,

ô IESU, Ieſu, Ieſu! permitte me intrare in numerum electorum tuorum: ô IESU! ſalus in te credentium: ô IESU! ſolatium ad te confugientium: ô IESU! dulcis remiſſio omnium peccatorum. O JESU! Fili Mariæ Virginis, infunde in me gratiá, ſapientiam, charitatem, & humilitatem: ut poſſim te perfectè diligere, te laudare, te perfrui, tibi ſervire, in te gloriari, & omnes, qui invocant ſanctum nomen tuum, quod eſt IESUS, Amen.

Oratio de articulis Paſſionis.

DOmine IESU Chriſte, qui pro redemptione mundi voluiſti naſci, circumcidi, à Judæis reprobari, à Juda traditore oſculo tradi, vinculis alligari, ſicut agnus innocens ad vi-

ctimam duci, atque conſpecti-
bus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis indecenter offerri; à falſis teſtibus accuſari; flagellis, & opprobriis vexari, ſputis conſpui, ſpinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, veſtibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari; felle, & aceto potari, & lanceâ vulnerari: Tu Domine per has ſacratiſſimas pœnas, quas ego indignus recolo, & per ſanctam Crucem, & Mortem tuam, libera me à pœnis inferni, & perducere me digneris, quo perduxiſti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum,
Amen.

Oratio S. Bonaventuræ.

DOmine JESU Chriſte, tuis vulneribus cor meum ſaucia, tuo Sanguine mentem meam inebria: ut quocunque me vertero, ſemper te videam crucifixum, & quidquid aſpexero, tuo mihi appareat Sanguine rubricatum: ut ſic in te totus tendens, nihil præter te valeam invenire, nihil niſi tua vulnera intueri. Hæc mihi conſolatio, tecum, mi Domine, vulnerari, hæc intima ſit mihi afflictio, ſub te aliquid meditari. Non quieſcat cor meum, bone Jesu, donec inveniat te centrum ſuum, ubi cubet, ubi ſuum terminet appetirum, Amen.

Ad Chriſtum in Cruce.

PRecor te, amantiſſime Domine IESU Chriſte, propter

eximiam illam charitatem, quâ humanum genus dilexiſti: quando tu cœleſtis Rex pendebas in ara Crucis vulnerato corpore, transfixo corde, conturbatis ſenſibus, triſtiſſimo geſtu, ſanguineis vulneribus, defluentibus guttis, expanſis brachijs, confixis pedibus, extenſis membris, livido ore, pallida facie, mortali colore, lachrymoſis oculis, gemebundo gutture, inclinato capite, aperto latere, atque triſtiſſimâ animâ. Per illam, inquam, charitatem, quâ cor tuum dulciſſimum ſcindebatur, quando benedicta anima tua egreſſa eſt de benedicto corpore tuo, miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo, Amen.

Tres

Tres gratiarum actiones.

O Agnelle Dei manſuetiſſime! qui tam miſerabiliter trium horarum ſpatio in Cruce pependiſti; ex affectu totîus univerſitatis gratias tibi ago pro intolerabili illo dolore; quem ſuſtinuiſti; dum in ſacra cruce tam immiſericorditer extenſus fuiſti, quòd omnia oſſa tua numerari potuerint: orans, ut ob illum dolorem mihi dimittas, quidquid membris meis contra bonitatem tuam deliqui, Amen.

O Agnelle Dei innocentiſſime! per gratitudinem univerſæ creaturæ gratias tibi ago pro amara ſiti, quam in Cruce pro ſalute mundi patiebaris; dum lachrymabili voce clamares, *Sitio*, nec tamen quidquam præter fel, & acetum tibi propinaretur:

rogans per acerbitatem ſitis illius, ut dimittas mihi, quidquid immoderato cibo, & potu deliqui, Amen.

O Agnelle Dei ſacratiſſime! in unione illius laudis, & gratiarum actionis, quam tibi perſolvit omnium Sanctorum, & Electorum univerſitas, gratias tibi ago pro immani illo martyrio, quod ſubijſti, dum tam immiſericorditer manibus, & pedibus clavis ferreis cruci affigereris; adeò, quòd cor tuum præ dolore contremiſceret, & omnes nervi tui contraherentur. Per dolorem hunc tam fortem & per tuam mortem deprecor; ut culpas manuum, pedúmque meorum abluas, eadémque vulnera tua æterno Patri tuo ad placandum eum, oſtendas, Amen.

LITA-

LITANIÆ
De Spiritu Sancto.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon,
Spiritus Sancte, audi nos.
Spiritus Paraclite, exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus ſancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Spiritus veritatis,
Spiritus ſapientiæ,
Spiritus Intellectus,
Spiritus fortitudinis,
Spiritus pietatis,
Spiritus recti conſilij,
Spiritus ſcientiæ,
Spiritus ſancti timoris,
Spiritus charitatis,
Spiritus gaudij,
Miſerere nobis.

Spiritus pacis,
Spiritus virtutum,
Spiritus multiformis gratiæ,
Spiritus adoptionis filiorum Dei,
Purificator animarum noſtrarum,
Eccleſiæ Catholicæ Sanctificator & Rector,
Cœleſtium donorum diſtributor,
Diſcretor cogitationum & intentionum cordis,
Dulcedo in tuo ſervitio incipientium,
Virtus in te proficientium,
Corona perfectorum,
Gaudium Angelorum,
Illuminatio Patriarcharum,
Inſpiratio Prophetarum,
Os & Sapientia Apoſtolorum,

Miſerere nobis.

Vi-

Victoria Martyrum, Miſerere nobis.

Scientia Confeſſorum, Miſerere nobis.

Puritas Virginum, Miſerere nobis.

Unctio Sanctorum omnium, Miſerere nobis.

Propitius eſto, Parce nobis Domine.

Propitius eſto, Exaudi nos Domine.

Ab omni malo, Libera nos Domine.

Ab omni peccato, Libera nos Domine.

Ab omnibus tentationibus, & inſidijs Diaboli, Libera nos Domine.

Ab omni præſumptione & deſperatione, Libera nos Domine.

Ab

Ab impugnatione veritatis agnitæ,
Ab invidentia fraternæ gratiæ,
Ab omni obſtinatione, & impœnitentia,
Ab omni negligentia & torpore animi,
Ab omni immunditiâ mentis, & corporis,
Ab hæreſibus & erroribus univerſis,
Ab omni malo Spiritu,
A mala & æterna morte,
Per æternam ex Patre Filióque proceſſionem tuá,
Per miraculoſam conceptionem Filij Dei,
Per deſcenſionem tuam ſuper Christum baptizatum.
Per ſanctam apparitionem

Libera nos Domine.

tuam

tuam in transfigurationeDomini, Libera nos Domine.

Per adventum tuum ſuper diſcipulosChriſti,Lib.nosDñe.

In dieIudicij, Libera nos Dñe.

Peccatores, Te rogamus audi nos,

Ut nobis parcas,

Ut omnia Eccleſiæ membra vivificare, & ſanctificare digneris,

Ut veræ pietatis, devotionis, & orationis donum nobis dare digneris,

Ut ſinceros miſericordiæ, charitatíſque affectus nobis inſpirare digneris,

Ut Spiritum novum & cor mundum in nobis creare digneris,

Ut veram pacem, & cordis tranquillitatem nobis dare digneris,

Te rogamus audi nos.

Ut

Ut ad tolerandas propter juſtitiam perſecutiones, nos dignos & fortes efficias,
Ut nos in gratia tua confirmare digneris,
Ut nos in numerum electorum tuorum recipias,
Ut nos exaudire digneris,
Spiritus Dei, — Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Effunde in nos Spiritum Sanctum.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Emitte promiſſum in nos Patris Spiritum.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Da nobis Spiritum bonum.

Spiritus Sancte, audi nos.
Spiritus Paraclête, exaudi nos.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. *Paſter noſter &c.*

℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur,

℟. Et renovabis faciem terræ.

Oremus.

DEUS, qui corda fidelium Sancti Spiritûs illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

SEMITA QUINTA
Cultûs B. V. MARIÆ.

Litaniæ Lauretanæ.

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.

Pater

Pater de cœlis DEUS, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, Miſerere nobis.
Spiritus ſancte DEUS, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus DEUS, Miſerere nobis.

Sancta MARIA,
Sancta DEI Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Mater Chriſti,
Mater divinæ gratiæ,
Mater puriſſima,
Mater caſtiſſima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris.
Mater Salvatoris,
Virgo prudentiſſima,

} Ora pro nobis.

Virgo

Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum juſtitiæ,
Sedes ſapientiæ,
Cauſa noſtræ lætitiæ,
Vas ſpirituale,
Vas honorabile,
Vas inſigne devotionis,
Roſa myſtica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea.
Fœderis. Arca,
Ianua Cœli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Conſolatrix afflictorum,
Auxilium Chriſtianorum,

} Ora pro nobis.

Regina

Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apoſtolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confeſſorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,
Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.

Chriſte audi nos.

Chriſte exaudi nos.

Ave Maria.

SUb tuum præſidium confugimus, ſancta Dei Genitrix, noſtras deprecationes nè deſpicias in neceſſitatibus noſtris; ſed

ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa, & benedicta, Domina noſtra, Mediatrix noſtra, Advocata noſtra: tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræſenta.

℣. Ora pro nobis ſancta DEI Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

GRatiam tuam, quæſumus Domine, mentibus noſtris infunde: ut qui Angelo nuntiante Chriſti Filij tui Incarnationem cognovimus; per Paſſionem ejus, & Crucem, ad reſurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

℣. Ora pro nobis beatiſſime Joſeph.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

SAnctiſſimæ Genitricis tuæ Sponſi, quæſumus Domine, meritis adjuvemur: ut quod poſſibilitas noſtra non obtinet, ejus nobis interceſſione donetur. Qui vivis, & regnas Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

OFFICIUM PARVUM
DE IMMACULATA CONCEPTIONE B. V. MARIÆ.

Ad Matutinum.

℣. Eia mea labia nunc annuntiate.

℟. Laudes & præconia Virginis beatæ.

℣. Domina in adjutorium meum intende.

℟. Me de manu hoſtium potenter defende.

Gloria Patri, &c. HYM-

HYMNUS.

SAlve mundi Domina,
Cælorum Regina:
Salve Virgo Virginum,
Stella matutina.
Salve plena gratiæ,
Clara lux divina:
Mundi in auxilium
Domina feſtina.
Ab æterno Dominus
Te præordinavit
Matrem Unigeniti
Verbi, quo creavit
Terram, pontum æthera:
Te pulchram adornavit
Sibi ſponſam, in qua
Adam non peccavit.

℣. Elegit eam DEUS, & præelegit eam.

℞. In tabernaculo ſuo habitare fecit eam.

℣. Domina exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

SAncta Maria Regina Cœlorum, Mater Domini noſtri JESU Chriſti, & mundi Domina, quæ nullum derelinquis, & nullum deſpicis; reſpice me, Domina, clementer oculo pietatis, & impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum: ut qui nunc tuam ſanctam Conceptionem devoto affectu recolo, æternæ in futurum beatitudinis bravium capiam, ipſo, quem Virgo peperiſti, donante Domino noſtro JESU Chriſto, qui cum Patre, & ſancto Spiritu vivit & regnat in Trinitate perfecta DEus in ſæcula ſæculorum, Amen.

℣. Do-

℣. Domina exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per miſericordiam Dei, requieſcant in pace.

℟. Amen.

Ad Primam.

℣. Domina in adjutorium, &c.

℟. Me de manu hoſtium, &c.

Gloria Patri, &c.

Hymnus.

SAlve Virgo ſapiens,
Domus Deo dicata:
Columna ſeptemplici,
Mensáque exornata.
Ab omni contagio
Mundi præſervata,
Ante ſancta in utero
Parentis, quàm nata.

Tu Mater viventium,
Et Porta es Sanctorum;
Nova Stella Jacob,
Domina Angelorum:
Zabulo terribilis
Acies caſtrorum,
Portus & refugium
Sis Chriſtianorum.

℣. Ipſe creavit illam in Spiritu ſancto.

℟. Et effudit illam ſuper omnia opera ſua.

℣. Domina exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

SAncta MARIA, &c. *ut ſupra.*

AD TERTIAM.

℣. Domina in adjutorium meum intende.

℟. Me te manu hoſtium potenter defende.

Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

SAlva arca fœderis,
Thronus Salomonis,
Arcus pulcher ætheris,
Rubus viſionis:
Virga frondens germinis,
Vellus Gedeonis,
Porta clauſa Numinis
Favúſque Samſonis.
Decebat tam nobilem
Natum præcavere
Ab originali
Labe Matris Hevæ
Almam, quam elegerat,
Genitricem verè,
Nulli prorſus ſinens
Culpæ ſubjacere.

℣. Ego in altiſſimis habito.

℟. Et Thronus meus in columna nubis.

℣. Dña exaudi orationẽ meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

SAncta Maria, &c. *ut ſupra.*

Ad Sextam.

℣. Domina in adjutorium, &c.
℟. Me de manu hoſtium, &c.
Gloria Patri, &c.

Hymnus.

SAlve Virgo puerpera,
Templum Trinitatis,
Angelorum gaudium,
Cella puritatis;
Solamen mœrentium,
Hortus voluptatis,
Palma patientiæ,
Cedrus caſtitatis.
Terra es benedicta
Et ſacerdotalis,
Sancta, & immunis
Culpæ originalis:
Civitas Altiſſimi,
Porta Orientalis,
In te eſt omnis gratia,
Virgo ſingularis.

℣. Sicut Lilium inter ſpinas.
℟. Sic amica mea inter filias Adæ.
℣. Dña exaudi orationẽ meam.
℟. Et Clamor meus ad te veniat.

Oremus.

SAncta Maria, &c. *ut ſupra.*

DD NONAM.

℣. Domina in adjutorium, &c.
℟. Me de manu hoſtium, &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

SAlve Urbs refugij,
Turriſque munita
David, propugnaculis,
Armiſque inſignita.
In Conceptione
Charitate ignita:
Draconis poteſtas,
Eſt à te contrita.
O mulier fortis,
Et invicta Judith,

Pulchra Abiſag Virgo,
Verum ſovens David.
Rachel curatorem
Ægypti geſtavit;
Mundi Salvatorem
Maria portavit.

℣. Tota pulchra es amica mea.
℟. Et macula originalis nunquam fuit in te.
℣. Domina exaudi orationẽ &c.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

SAncta MARIA, &c. *ut ſupra.*

AD VESPERAS.

℣. Domina in adjutorium &c.
℟. Me de manu hoſtium &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

SAlve horologium;
Quo retrò gradiatur
Sol in decem lineis,
Verbum incarnatur:

Homo ut ab inferis,
Ad ſumma attollatur,
Immenſus ab Angelis
Paulò minoratur.
Solis hujus radijs
Maria coruſcat:
Conſurgens aurora
In conceptu micat,
Lilium inter ſpinas,
Quæ ſerpentis conterat
Caput, pulchra ut Luna,
Errantes colluſtrat.

℣. Ego feci in cœlis, ut orietur lumen indeficiens.

℞. Et quaſi nebula texi omnem terram.

℣. Dña exaudi orationẽ meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

SAncta MARIA, &c. *ut ſupra.*

AD COMPLETORIUM.

℣. Converrat nos, Domina, tuis

precibus placatus Jesus Chriſtus Filius tuus.
℟. Et avertat iram ſuam à nobis.
℣. Domina in adjutorium &c.
℟. Me de manu hoſtium &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

SAlve Virgo florens,
Mater illibata,
Regina clementiæ
Stellis coronata:
Supra omnes Angelos
Pura, immaculata,
Atque ad Regis dexteram
Stans veſte deaurata.
Per te Mater gratiæ,
Dulcis ſpes reorum,
Fulgens ſtella maris,
Portus naufragorum,
Patens cæli janua,
Salus infirmorum,
Videa-

Videamus Regem,
In Aula Sanctorum, Amen.

℣. Oleum effuſum, Maria, nomen tuum.

℟. Servi tui dilexerunt te nimis.

℣. Dña exaudi orationẽ meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

SAncta MARIA, &c. *ut ſupra.*

COMMENDATIO.

SUpplices offerimus
Tibi Virgo pia,
Has horas canonicas:
Fac nos ut in via
Ducas curſu proſpero,
Et in agonia
Tu nobis aſſiſte,
O dulcis Maria, Amen.

Antiph. Hæc eſt virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.

℣. In conceptione tua Virgo immaculata fuiſti.

℟. Ora pro nobis Partem, cujus Filium peperiſti.

Oratio.

DEUS, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparaſti: quæſumus, ut ſicut ex morte ejuſdem Filij ſui prævisâ, eam ab omni labe præſervaſti, ita nos quoque mundos ejus interceſſione ad te pervenire concedas. Per eundem Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti DEUS, Per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Devota ſalutatio
B. MARIÆ VIRGINIS.

QUot maris ſunt guttæ, quot ſtellæ cœli, quot beatorum ſpirituum agmina, quot arborum folia, quot humi gramina, quot aëris atomi, quot puncta cœlorum, quot ignium flamulæ, quot terræ arenulæ, quot universi ſingularia, quot rerum poſſibilia, toties ex intimo corde te ſaluto, ô nobiliſſima! ô glorioſiſſima! ô dulciſſima! ô pulcherrima! ô digniſſima! ô præclariſſima DEI Mater, & cœli Regina, Domina mea Virgo MARIA! Saluto autem te in unione amoris, & per cor dilectiſſimi Filij tui JESU, atque omnium te amantium, meque tibi commendo, & in proprium Filium, atque (utinã dignum) mancipium tuum aſſigno. Oro etiam,

am, ut me in tutelam ſuſcipias; & apud Deum impetres, ut totus poſt Deum ſim tuus, & tu tota mea Domina, gaudium meum, adjutrix mea, Mater mea dulciſſima, & feliciſſima corona mea, Amen.

Cœlicum Ave Maria.

AVe ex omnipotentia Patris; ave ex ſapientia Filij; ave ex dulciſſima bonitate Spiritûs ſancti; Maria illuminans cœlũ, & terram. Gratiâ plena, Dominus tecum, unicus DEI Patris, unigenitusque virginei cordis tui Filius, dulciſſimus Sponſus, & amicus tuus Jesus Chriſtus. Benedicta tu in mulieribus, quæ repuliſti Evæ maledictonem, & reportâſti æternam benedictionem. Et benedictus Fructus ventris tui Jesus Chri-

Chriſtus, Dominus & Creator omnium, omnia benedicens, & ſanctificans, omnia ditans, & vificans, Amen.

Jubilus Marianus.

AVe Virgo glorioſa,
Stella ſolle clarior:
Mater Dei gratioſa,
Favo mellis dulcior:
Tu es illa ſpecioſa,
Quâ nulla eſt pulchrior:
Rubicunda plus quàm roſa
Lilio candidior:
Omnis virtus te decorat;
Seraphinis purior:
Omnis Sanctus te honorat
in cœlo ſublimior. Amen.

Tres petitiones.

BEatiſſima Virgo Maria, rogo te per illam innocentiſſimam puritatem, quâ Filio Dei in tuo virginali utero placidiſſimam

mam manſionem præparâſti; ut tuis precibus ab omni macula merear emundari, Amen.

Beatiſſima Virgo MARIA, rogo te per profundiſſimam illam humilitatem, quâ ſuper omnes choros Angelorum, & Sanctorum meruiſti exaltari: ut tuis precibus ſuppleantur omnes negligentiæ meæ, Amen.

Beatiſſima Virgo MARIA, deprecor te per amorem illum inæſtimablilem, qui te inſeparabiliter DEO conglutinavit; ut tuis precibus præſtetur mihi copia diverſorum meritorum, Amen.

CORO-

CORONA AUREA
B. MARIÆ VIRGINIS.

Ex decem Invocatiunculis, ceu Floſculis conſerta, totidem Divæ corporis animæque gaudia comprehendens.

O Sancta MARIA, Virgo excellentiſſima, & in æternum electa Regina cœlorum, & Mater unigeniti Filij DEI! dignare pro me orare eundem dilectiſſimum Filium tuum Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, ut ſanctam in me augeat fidem, foveat ſpem, & inflammet charitatem, quo ſanctè, piè & juſtè vivam in hoc ſæculo, & gratiam conſequar in futuro. Et tu, ô Domina mea ſanctiſſima MARIA, ne projicias me à facie tuâ virgineâ propter nimias iniquitates at-

atque peccata mea, quibus Filium tuum Dominum ac Redemptorum meum offendi, & tuam bonitatem amiſi: ſed miſericordiæ tuæ memor, per hanc oblationem Coronæ aureæ, quá tibi nunc offerre propono, impetra mihi & omnibus, pro quibus in genere, vel in ſpecie orare intendo, veniam & remiſſionem omnium peccatorum, Amen.

Oratio prima.

O MARIA Virgo omnis honoris & decoris plena, beatiſſimæ menti tuæ copioſa illa ingero gaudia, honores & gratias, quas olim percipiebas, cùm primùm tibi innotuit, te in virginalem unigeniti Filij DEI Matrem electam eſſe. Digniſſima *Mater, fac ut ego aliquam partem

tem ex illis tuis ſuperabundantibus gaudijs gratijsque ſentiam, & impetra mihi à dilecto Filio tuo, ut cordis mei deſideria à DEO impleantur, dignusque per te efficiar, cujus preces ſedùm neceſſitatem exaudiantur. Per JESUM Chriſtum Filium tuum unicè dilectum, Dominum & Salvatorem noſtrum, Amen. *Ave Maria.*

Oratio ſecunda.

O Benedicta Virgo MARIA, beatiſſimæ menti tuæ copioſa illa ingero gaudia, honores & gratias, quas percipiebas, cùm tibi per ſanctum Archangelum Gabrielem nuntiatum eſt, te Matrem DEI futuram, citra labem tamen Virginitatis tuæ. Ubi enim ex Angelico affatu didiciſti Patris omnipotentiam,

am, Filij ſapientiam, & Spiritûs ſancti bonitatem, Angelo te in hæc verba reſolviſti: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Et ita dilectus Filius tuus ex te, Spiritu ſancto obumbratâ, ſuam ſacroſanctam ſuſcepit humanitatem, tuoque ſe virginali utero immerſit, novem ipſos menſes intra tua veneranda viſcera quieſcens. Gratioſiſſima Mater, &c. *Ave Maria.*

Oratio tertia.

O Laudatiſſima Virgo MARIA, beatiſſimæ menti tuæ copioſa illa ingero gaudia, honores & gratias, quas in animâ & corpore percipiebas eo ipſo die & momento, quo dilectiſſimum Filium tuum abſque ullo doloris ſenſu peperiſti, tuo virginali clauſtro etiam poſt partum

tum inviolato. O quàm amicantibus oculis, quàm teneris amplexibus, quàm ſuavibus oſculis tuum amabiliſſimum infantulum non exceperis. Sacratiſſima Mater, &c. *Ave Maria.*

Oratio quarta.

O Pretioſiſſima Virgo MARIA, beatiſſimæ menti tuæ copioſa illa ingero gaudia, honores & gratias, quas in animâ & corpore percipiebas illo tempore, quo tres Magi cœlitùs admoniti tuo dilectiſſimo Filiolo aurum, thus, & myrrham obtulerunt, hoc ipſo facto proteſtantes eundem ſe DEUM ac Dominum ſuum agnoſcere & adorare. Dulciſſima Mater, &c. *Ave Maria.*

Oratio

Oratio quinta

O Intemerata Virgo MARIA, beatiſſimæ menti tuæ copioſa illa ingero gaudia, honores & gratias, quas in templo Jeroſolymitano percipiebas, quando duodennem Filium tuum, tribus integris diebus jam perditum, in medio Doctorum ſedentem, & ex lege diſputantem reperiſti. Electiſſima Mater, &c. *Ave Maria.*

Oratio ſexta.

O Fideliſſima Virgo MARIA, beatiſſimæ menti tuæ copioſa illa ingero gaudia, honores & gratias, quas in animâ & corpore; eâ ipſâ nocte percipiebas, quâ dilectiſſimus Filius tuus poſt amaram Paſſionem & mortem ſuam tibi præ omnibus alijs, glorioſiſſimus inferni mortisque

tri-

triumphator apparuit, oſtendens tibi ſummo conſolationis tuæ augmento ſui Corporis glorioſa membra, & in membris vulnera. O Mater divinis conſolationibus ſupereffluentiſſima, &c. *Ave Maria.*

Oratio ſeptima.

O Nobiliſſima Virgo MARIA, beatiſſimæ menti tuæ copioſa illa ingero gaudia, honores & gratias, quas in animâ & corpore percipiebas eo tempore, cùm cerneres dilectum Filium tuum abſoluto Redemptionis humanæ negotio victorioſum humani generis Recuperatorem, mortis Domitorem, infernarúmque poteſtatum Deſtructorem, innumera Animarum ſanctarum caterva ſtipatum, propria virtute ad ſidera

elevari, ſuosque benedicere. Beatiſſima Mater, &c. *Ave Maria.*

Oratio octava.

O Speciosiſſima Virgo MARIA, beatiſſimæ menti tuæ copioſa illa ingero gaudia, honores & gratias, quas in anima & corpore percipiebas in die Pentecoſtes, ubi ſe Spiritus ſanctus in te, inter Diſcipulos Domini mediam ſedentem, largiſſimâ menſurâ effudit, denuò in te dona donis, & gratias gratiis accumulans. O Mater inter omnes benedicta, &c. *Ave Maria.*

Oratio nona.

O Electa Virgo MARIA, beatiſſimæ menti tuæ copioſa illa ingero gaudia, honores & gratias, quas in anima & corpore percipiebas, cùm tibi revelatum eſt, tempus adeſſe, quo ex

hac

hac miſeriarum valle tranſires ad illa dudum tibi deſiderata Regni cœleſtis gaudia, quibus unà cum dilectiſſimo Filio tuo in omnẽ fruerêris æternitatem. Puriſſima Mater, &c. *Ave Maria.*

Oratio decima.

O Auguſtiſſima Virgo MARIA, beatiſſimæ menti tuæ copioſa illa ingero gaudia, honores & gratias, quas in anima & corpore percipiebas, quando ex hoc mundo animâ & corpore inter lætantes Angelorum Choros aſſumpta, ſuper omnes cœleſtes Hierarchias exaltata, à dilectiſſimo Filio tuo in excelſiſſimo cœlorum throno coronata, Regina cœli, Imperatrix Divorum, mundiq́ue Domina ſalutata & proclamata es. Glorioſiſſima Mater fac ut ego

aliquam partem, &c. *Ave Maria.*

Concluſio.

O Pientiſſima Virgo, ac Dei Genitrix Maria! Ego tuus indigniſſimus cliens coronam iſtam ex decem gaudiis tuis bona mente, firmâ animi fiduciâ connexui, eam tibi dicatam, tibi conſecratam volo: Accipiat illam Auguſtiſſima dextera tua pro tui Nominis honore & gloria, & animæ meæ, totiúsque Mundi emolumento & ſalute. O Mater miſericordiæ benedicta! rogo te per omnia feliciſſima tua gaudia, honores & gratias, quibus te Divina Bonitas dignata eſt, & in terris adhuc nobiſcum degentem, & nunc in cœlis inter Angelos, ſanctoſque triumphantem, impetra

mihi

hi peccatori egentiſſimo ve-
n animi mei conſolationem,
citamque ſpiritualem, om-
um delictorum meorum re-
iſſionem, gratiam & auxilium
piritûs Sancti, ut piè chriſtia-
èque juxta vocationis meæ in-
tutum vivam, & in eâ per-
verans ſecurè, beatèque mo-
ar, per JESUM Chriſtum Fili-
m tuum, Dominum & Salva-
orem noſtrum. Amen.

Invitatio B. MARIÆ Virginis ad ſui obitum.

SAcratiſſima Virgo MARIA, in illo amore & fidelitate, quâ filius tuus in Cruce pendens te beato Joanni commendavit, commendo tibi animam & corpus meum, cogitationes, verba, & opera mea, vitam & mortem meam, maximè autem il-

lud extremum vitæ meæ momentum, à quo pendet æternitas. Et ſicut tu ad beatum tuum tranſitum Filium tuum invitâſti, ita & ego ad tranſitum meum te invito, rogans per amorem illum, quo filio tuo morienti aſtitiſti, perque amaras lachrymas, quas fudiſti, quando eum inclinato capite amariſſimè exſpirantem vidiſti, ut & mihi materna benignitate tua aſſiſtere, & nequaquam emanere velis, quia ſine te nequaquam piè mori me poſſe confido. Ne deneges mihi, ô Mater benigniſſima, petitionem hanc meam, quam à te devotiſſimo corde depoſco, quia ſi ſine te moriar, non immerito vereor, ne æternaliter peream. Quomodo enim ego pauperculus & fragilis nimis in

tam

n multiplicibus, graviſſimiſ-
e hoſtium inſultibus ſubſi-
n, niſi mihi adfueris? quo-
do in diſtrictiſſimo illo judi-
divino comparebo, niſi te
hi Comitem & Advocatam
hibueris? Quomodo de pec-
is meis innumeris, & omnem
rmitatem ſuperantibus ra-
nem reddam, niſi tu illa apud
ium tuum excuſes, eorúm-
e mihi veniam impetres? In-
na igitur aurem tuam preci-
s meis, ô beatiſſima, & ob
norem dilectiſſimi Filij tui in
tremis meis mihi aſſiſte, ut
b tua protectione graviſſimis
is periculis erutus ad cœleſtia
udia tecum pervenire vale-
n, Amen.

B. Mechtildis tria Ave, pro felici fine vitæ.

AVe MARIA, &c. *uſque ad illa verba*: Sancta MARIA Mater DEI: Sicut DEUS Pater ſecundùm magnificentiam omnipotentiæ ſuæ te ſuper omnes creaturas exaltavit, atque potentiſſimam effecit: ita mihi, quæſo, adſis in hora mortis meæ, expellendo à me omnem contrariam poteſtatem. Ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ. Amen.

Ave Maria, &c. Sancta Maria Mater Dei: ſicut Filius Dei ſecundùm excellentiam inſcrutabilis ſapientiæ ſuæ tanta Te cognitione, & claritate replevit, quòd præ omnibus Sanctis majorem ſanctiſſimæ Trinitatis cognitionem habeas: ita in hora mor-

mortis meæ animam meam cognitione fidei ſic illuſtres ; ne ullo errore, vel ignorantia pervertatur. Ora pro nobis peccatoribus nunc , & in hora mortis noſtræ, Amen.

Ave Maria, &c. Sancta Maria Mater Dei : ſicut Spiritus Sanctus dulcedinem amoris ſui ita plenè tibi infudit, quòd poſt Deum dulciſſima , & benigniſſima ſis ; ita in hora mortis dulcedinem amoris divini mihi infundas , ex quo mihi omnis amaritudo reddatur ſuaviſſima, Ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis noſtræ, Amen.

SEMITA SEXTA

Cultus Sancti Angeli Cuſtodis, LITANIÆ.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.

Chriſte audi nos.

Chriſte exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.

Fili Redemptor Mundi Deus, miſerere nobis.

Spiritus Sancte Deus,, miſerere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, miſerere nobis.

S. Angele Cuſtos meus.
S. Angele Princeps meus,
S. Angele Monitor meus,
S. Angele Conſiliarius meus,
S. Angele Protector meus,
S. Angele Procurator meus,
S. Angele Amator meus,
S. Angele Conſolator meus,
} Ora pro me.

Fra-

Sancte Angele,

Frater meus,
Magiſter meus,
Teſtis meus,
Paſtor meus,
Adjutor meus,
Excubitor meus,
Negotiator meus,
Advocatus meus,
Suſceptor meus,
Curator meus,
Præſes meus,
Defenſor meus,
Dux meus,
Conſervator meus,
Prædicator meus,
Illuminator meus,

Oro pro me.

Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, Miſerere nobis.

Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. *Pater noſter, &c.*

Angele Dei, qui Cuſtos es mei, me tibi commiſſum pietate ſuperna, illumina, cuſtodi, rege, & guberna.

℣. Angelis ſuis Deus mandavit de te.

℟. Ut Cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

Oremus.

OMnipotens æterne Deus, qui me, licet indignum, ad imaginem tuam creâſti, & Angelum tuum Sanctum ad mei cuſtodiam deputâſti, da mihi ſervo tuo, illius ductu & cuſtodiâ malorum omnium tam animæ quàm corporis pericula feliciter perſtranſire, & poſt hu-

jus

jus vitæ curriculum, cum illo ad æterna gaudia pervenire. Per Chriſtum Dn̄m noſtrum. Amen.

OFFICIUM

DE S. ANGELO CUSTODE.

Oratio præparatoria

Ante officium dicenda.

DEus, cujus providentia humano generi ſupernorum Spirituum præſidium ſubminiſtrat; concede, ut Angelum meæ cuſtodiæ deputatum ita valeam his precibus venerari, ut ejus protectione merear ubique defendi. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

AD MATUTINUM.

Illuminat.

SAncte Angele DEI, qui cuſtos es mei, ora pro me.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annunciabit laudem tuam. ℣. DE-

℣. Deus in adjutorium &c.
℟. Domine adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

NOvo lucis exordio,
O Cuſtos mi dulciſſime,
Cæcam mentis caliginem
Tuo ſplendore diſcute:
Et me divina monita
Benignus ſemper edoce.

Antiph. Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem paravi, obſerva eum, & audi vocem ejus.

℣. In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus.
℟. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domine.

Oremus.

DEUS, qui ineffabili providentia ſanctos Angelos

tuos

tuos ad noſtram cuſtodiam mittere dignaris: largire ſupplicibus tuis, & eorum ſemper protectione defendi, & æternâ ſocietate gaudere. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.

Ad Primam.

Offert

SAncte Angele Dei, qui cuſtos es mei, ora pro me.

℣. Deus in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

MEas preces & lacrymas,
Fidus de cœlo nuntius,
Quamvis indignas excipe,
Et ſummo Patri tradito:
Culpiſque meis debitas
Supplex pœnas avertito.

Antiph. Data ſunt ei incenſa multa, ut adoleret ea ante altare aureum, & aſcendit fumus

aro-

aromatum de manu Angeli in conſpectu Domini.
℣. In conſpectu Angelorũ &c.
℟. Adorabo ad templum &c.

Oremus.

DEUS, qui ineffabili &c. *ut ſupra.*

AD TERTIAM.

Solatur.

SAncte Angele DEI, qui Cuſtos es mei, ora pro me.
℣. DEUS in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.

HYMNUS.

AFflictum, clementiſſime,
Favore tuo recrea:
Ad virtutis officia
Semiſopîtum excita:
Cùm ſancto mens in operē
Nutârit, promptus adjuva.

Antiph. Reverſus eſt Angelus, qui loquebatur in me, & ſuſcitavit me quaſi virum, qui ſuſcitatur de ſomno ſuo. ℣. In

℣. In conſpectu Angelorũ &c.
℟. Adorabo ad templum &c.
Oremus.
DEUS, qui ineffabili &c. *ut ſupra.*
AD SEXTAM.
Invitat.
SAncte Angele DEI, qui Cuſtos es mei, ora pro me.
℣. DEUS in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.
HYMNUS.
DIſſolve mentis glaciem,
Frange cordis duritiem,
Peccati oppreſſum onere
Præſenti manu ſubleva:
A Cœli errantem ſemita,
Ad Cœli viam revoca.
Antiph. Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. ℣. In

℣. In conſpectu Angelorũ &c.
℟. Adorabo ad templum &c.

Oremus.

DEUS, qui ineffabili &c. *ut ſupra.*

AD NONAM.

Arcet.

SAncte Angele DEI, qui Cuſtos es mei, ora pro me.

℣. DEUS in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

INvictâ tuâ Dexterâ
Contunde vires dæmonis;
Carnis retunde fomitem,
Mundi frange ſuperbiam,
Ut tuo ſub præſidio
Victor ab hoſte redeam.

Antiph. Benedictus DEUS meus, qui miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi.

℣. In

℣. In conſpectu Angelorũ &c.
℟. Adorabo ad templum &c.

Oremus.

DEUS, qui ineffabili &c. *ut ſupra.*

AD VESPERAS.

Caſtigat.

SAncte Angele DEI, qui Cuſtos es mei, ora pro me.
℣. DEUS in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

FLagello pigrum excita,
Et reluctantem increpa,
Vitæ labentis terminum
In mentem ſæpe revoca:
In vitæ brevi ſpatio,
Solertiorem facito.

Antiph. Et nunc Domine, Dominator Cælorum, mitte Angelum ſanctum tuum ante nos in timore & tremore magnitudinis brachij tui. ℣. In

℣. In conſpectu Angelorum &c.
℟. Adorabo ad templum &c.

Oremus.

DEUS, qui ineffabili &c. *ut ſupra.*

AD COMPLETORIUM.

Tuetur.

SAncte Angele DEI, qui cuſtos es mei, ora pro me.
℣. Converte nos DEUS ſalutaris noſter.
℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. DEUS in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

IN pugna mortis ultima
Ad ſis mihi, fortiſſime,
Peracta demum fragili
Vita, Ductor amabilis,
Me protinus æthereis
Infer benignè ſedibus.

Antiph. Vivit Dominus, quoniam

niam cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari.

℣. In conſpectu Angelorum &c.

℟. Adorabo ad templum &c.

Oratio.

DEUS, qui ineffabili &c. *ut ſupra.*

COMMENDATIO.

HAs Horas Angelicas
cum devotione
Tibi, Chriſte, offerimus,
piâ ratione,
Ut cuſtodis Angeli
interceſſione,
Sis nobis ſolatium
mortis in agone. Amen.

SAncti Angeli cuſtodes noſtri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judio. Amen. Pro-

Proteſtationes S. CAROLI BORROMÆI, Coram S. Angelo Cuſtode

Pro felici morte impetranda.

In Nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, Patris ✝, & Filij ✝, & Spiritus Sancti ✝, Amen.

I. EGo infelix, & miſer peccator, proteſtor in præſentia tua, O Angele DEI! aſſignate mihi à divina Majeſtate pro meo Cuſtode, & Ductore, cùm primùm natus eſſem: velle, & deſiderare me mori in ea ſola, vera, & Catholica fide, quam Sancta Romana & Apoſtolica tenet, & profitetur Eccleſia, & in qua omnes Sancti, quotquot fuerunt, mortui ſunt; nec deſidero diutiùs vivere, quàm placeat DEO meo, cui om-

omnem voluntatem meam integrè, & ex toto ſubijcio.

II. Proteſtor etiam, O Angele Dei! deſiderare & velle mé ſub tua ſancta Cuſtodia, & protectione diſcedere ex hac vita, cum ſpe divinæ miſericordiæ, ſine ulla titubatione in fide, non obſtante quacumque multitudine, & gravitate peccatorum meorum, certò ſciens, ac firmiſſimè credens, etiam unam ſolam guttam pretioſiſſimi Sanguinis Domini noſtri JESU Chriſti ſufficientem futuram fuiſſe, non ſolùm me ſalvandi, ſed etiam univerſum genus humanum, quin & mille mundos, ſi ita placitum fuiſſet divinæ ſuæ Majeſtati.

III. Pariter proteſtor, O Angele Dei! quòd ſi præ puſillanimi-

mitate Spiritûs tremendum Dei judicium, cui præſentandus ſum, cogitans, aut cogitatione diabolicâ, aut perturbatione rationis in aliquam deſperationem (quod Deus avertat) incurrerem, aut de fide dubitarem, id nunc ſana mente, mihique præſens revoco, irrito, & annullo, & pro non facto haberi cupio, eò quod non procedat de animo ſano, & deliberato; ſed in omnibus, & per omnia me divinæ Pietati, & Miſericordiæ ſubmitto.

IV. Similiter proteſtor, O Angele Sancte! petere me ex intimo corde participem fieri miſericordiæ Redemptoris Domini noſtri JESU Chriſti, & remiſſionem omnium peccatorũ meorum conſequi; ſciens, quòd

ipſe

ipſe eam nulli peccatori quantumvis gravi, & abominabili neget ritè contrito, & confeſſo: Idque per & propter merita amariſſimæ ſuæ Paſſionis, & virtutem pretioſiſſimi Sanguinis ſui, pro me indigniſſimo in ligno Crucis copiosè effuſi: Per merita demum ſanctiſſimæ ſuæ Matris Virginis MARIÆ, & omnium Sanctorum.

V. Iterum proteſtor, ô Sanctiſſime mi Angele Cuſtos! ſupplicare me divinæ pietati; ut dignetur me recipere in numerum eorum, quos ab æterno prædeſtinavit ad ſuam gloriam, etiamſi oporteret me pati ob peccata mea in purgatorio ad noviſſimum uſque judicij diem, dummodo tandem per ipſius

infinitam miſericordiam conſequar vitam æternam.

VI. Sanctiſſime, & vigilantiſſime Cuſtos, proteſtor demū, conſtituere me te Procuratorem teſtamenti, ultimæque voluntatis animæ meæ, ad impetrandum mihi à Domino meo JESU tres gratias.

Prima eſt: Ut mihi donet unum ſolum lachrymoſum ſuſpirium ex millenis illis, quæ habuit ipſe, dum per tres horas vivus pendebat in Cruce, quorum efficaciâ, & virtute mitigentur lachrymabiles illi ſingultus, Cordisque preſſuræ, quibus in horâ mortis affligar. Et ut glorioſiſſima Mater DEI MARIA dignetur me reſpicere unico aſpectu ex ijs, quos ipſa ſub Cruce ſtans habuit, defigendo in unicum Filium

um ſuum virgineos oculos, & ſuſcipiendo me in eorum numerum, qui ejus precibus, & meritis in die judicij obtinebunt ſalutem, & vitam ſempiternam.

Secunda: Ut tu fideliſſime Cuſtos meus in illa potiſſimùm hora mihi ſuccurras, quando anima mea ſeperabitur à corpore meo; ut inveniam benignum judicem meritò flagrantiſſimæ illius Charitatis, quâ paternum ipſius pectus in Cruce fuit inflammatum pro ſalute peccatorum.

Tertia: Ut tu idem pijſſime Cuſtos meus, animam meam tibi habeas commendatam, eamque de ergaſtulo corporis egreſſam, dexteræ tuæ potentiâ Redemptori meo offeras: ut eum unà tecum, & ſanctis omnibus

in

in Cœli gaudijs videam, perfectè amem, eoq́ue æternaliter fruar: Cui ſit laus, honor, & gloria in omnem æternitatem, Amen.

SEMITA SEPTIMA

Cultus Sancti Joſephi.

LITANIÆ

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.

Chriſte audi nos.

Chriſte exaudi nos.

Pater de Cœlis DEUS, miſerere nobis.

Fili Redemptor mundi DEUS, miſerere nobis.

Spiritus ſancte DEUS, miſerere nobis.

Sancta Trinitas unus DEUS, miſerere nobis.

Sancta

Sancta Maria Sponſa Joſeph, ora pro nobis.

Sancte Joſeph, Sponſe Mariæ Virginis, ora pro nobis.

S. Joſeph.

Cuſtos Virginitatis Mariæ
Comes & ſolatium Mariæ
Tutor & Nutritie JESU,
Quærens IESUM in templo,
Exul cum Chriſto in Ægypto,
Pater & Virgo,
Gener Joachim & Annæ,
In Virginitate mundiſſime,
In humilitate profundiſſime,
In charitate ardentiſſime,
In contemplatione altiſſime,
In ærumnis patientiſſime,
Beatorum Beatiſſime,
In utero matris juſtificate,

Ora pro nobis.

S. Joſeph.

In gratia confirmate,
Decus Sponſorum,
Exemplar opificum,
Vir ſecundùm cor Dei,
Fidelis ſervus & prudens,
Obiens inter brachia Chriſti,
Patrone noſter,
Advocate noſter,
Defenſor noſter,
Fili David,

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei &c. Exaudi nobis Dñe
Agnus Dei &c. Miſerere nobis.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.

HYMNODIA
DE S. JOSEPHO.

1. SAlve Pater Salvatoris,
Salve Cuſtos Redemptoris,
JOSEPH ter amabilis.

Salve

Salve Sponſe Matris DEI,
Salve hoſpes JESU mei,
JOSEPH ter mirabilis.

2. Dulces cunæ, dulces panni,
Dulces dies, dulces anni,
Dum nutriſti Dominum.
O quàm fuit admiranda,
Tua vita veneranda,
Habens DEI Filium.

3. JESUM oculis vidiſti,
Et in brachijs tuliſti,
O ſuavis felicitas!
Genis genas admoviſti,
Oſcula dans accepiſti,
O felix ſuavitas!

4. Modò DEUM appellâſti,
Modò Regem nominâſti,
Inter mille gaudia:
Modò Patrem adorandum,
Modò Natum adamandum,
Inter mille baſia.

5. JESUM brachijs tenere,
Atque totum poſſidere,
O quantæ divitiæ!
Cum MARIA converſari,
DEI Natum amplexari,
O quantæ deliciæ!

6. Quis eſt homo, qui amare,
Atque JESULUM portare
Nollet ſuis brachijs!
Nullus eſt qui non ambiret,
Et qui cunas non adiret,
Pro tantis delicijs.

7. O mî JOSEPH plus amande,
Et præ cunctis honorande,
O flos pudicitiæ!
Tibi tanta ſors eſt data,
Quanta nulli eſt collata
Ab Auctore gratiæ.

8. O felicem, & beatum,
Cuſtodiri cui eſt datum
Tuo ſub præſidio!

Et

Et qui meruit habere
Te Patronum, & gaudere
Tuo patrocinio.

9. Per MARIÆ tuæ Matris
Preces, & JOSEPHI Patris,
JESU tu nos adjuva:
Ut poſſimus te videre,
Et æternùm poſſidere
In cœleſti patria, Amen.

℣. Valde honorandus & amandus eſt B. JOSEPHUS.

℟. Inter cujus brachia Dominus recubuit.

OREMUS.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui B. JOSEPHUM juſtum, filium David, Beatiſſimæ Virgini MARIÆ Sponſum providiſti, & Filio tuo JESU Chriſto Nutritium elegiſti; da quæſumus, ut ejus precibus & meritis, tranquilla pace lætemur, & ad

 per-

perpetuæ viſionis tuæ conſolationem perducamur. Per eundẽ Chriſtum Dñm noſtrum, Amẽ.

Commendatio

Ad S. Josephum.

SAnctiſſime Joſeph, in illas tuas manus, quibus Beatiſſimæ tuæ Sponſæ Virginis Mariæ manum in Deſponſatione tetigiſti, & poſtea Jesum parvulum geſtâſti, animam meam commendo. Et quia Domui Jesu & Mariæ præfectus fuiſti, te mihi præficio, diſpone Domui meæ, ut bene moriar, & vivam tecum in æternum in Domo DEI, Amẽ.

Officium
DE S. JOSEPHO.
Ad Matutinum.

Jeſus, Maria, Joſeph.

℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.

℣. De-

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℞. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

JOſeph David filius,
Clarâ ſtirpe natus,
JESU Chriſti Domini
Pater nuncupatus,
Matris Dei Sponſus
Cælitùs vocatus,
Utriuſque Cuſtos
Cœlo deſtinatus.

Antiph. Salve Patriarcharum Decus, & Eccleſiæ ſanctæ Dei Oeconomus, cui panem vitæ & frumentum electorũ conſervâſti.

℣. Ora pro nobis beatiſſime Joſeph.

℞. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

SAnctiſſimæ Genitricis tuæ Sponſi, quæſumus Domine, meritis adjuvemur, ut, quod poſſibilitas noſtra non obtinet, ejus nobis interceſſione donetur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

AD PRIMAM.

Jeſus, Maria, Joſeph.

℣. DEUS in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

TU qui Sponſam gravidam
Dolens cùm videres,
Cogitabas anxius,
An eam retineres:
Sed cæleſtis monitor,
Ne amplius timeres,

In

In ſomnis admonuit,
Sed potiùs gauderes.
Ant. Salve Patriarcharum &c.
℣. Ora pro nobis Bme Joſeph.
℟. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

Sanctiſſimæ &c. *ut ſupra.*

AD TERTIAM.

Jeſus, Maria, Joſeph.

℣. DEUS in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

BEthlehem es profectus,
Cenſum ſoluturus,
Cum prægnante Virgine,
Ubi naſciturus
Erat Mundi Dominus,
Quippe mox facturus,
Ut ipſum infantulum
Eſſes amplexurus.
Ant. Salve Patriarcharum &c.

℣.

℣. Ora pro nobis B^me^ Joſeph.
℟. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

Sanctiſſimæ &c. *ut ſupra.*

AD SEXTAM.

Jeſus, Maria, Joſeph.

℣. DEUS in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

CUm Herodes impius
In pueros ſæviret,
Gabrielis monitu,
Ne amplius dormiret,
Retuliſti Sponſæ,
Sed tecum veniret,
Et accepto Parvulo
In Ægyptum iret.

Ant. Salve Patriarcharum &c.
℣. Ora pro nobis B^me^ Joſeph.
℟. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

Oremus.

Sanctiſſimæ &c. *ut ſupra.*

AD NONAM.

Jeſus, Maria, Joſeph.

℣. Deus in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

HOſtibus defunctis
Inde receſſiſti,
Et in Galilæam
Tecum reduxiſti
Puerum & Sponſam,
Sicut didiciſti
Cælitùs, & in Nazareth
Humilis vixiſti.

Ant. Salve Patriarcharum &c.
℣. Ora pro nobis Bme Joſeph.
℟. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

Sanctiſſimæ &c. *ut ſupra.*

AD

AD VESPERAS.

Jeſus, Maria, Joſeph.

℣. Deus in adjutorium &c.

℟. Domine ad adjuvandum &c.

Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

QUi Jeſum factum
Duodecim annorum
Perdidiſti tuum
Lumen oculorum;
Sed inventum poſtea
In medio Doctorum,
Cuſtodîſti ſedulus,
Regem Angelorum.

Ant. Salve Patriarcharum &c.

℣. Ora pro nobis B^me^ Joſeph.

℟. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

Sanctiſſimæ &c. *ut ſupra.*

AD COMPLECTORIUM.

Jeſus, Maria, Joſeph.

℣. Converte nos Deus &c.

℟. Et averte iram tuam &c.

℣. Deus in adjutorium &c.

℟. Do-

℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

FElix, quem in ulnis
Jeſus cum Maria
Tenuit cubantem,
Dum in agonia
Spiritum efflares,
Ut directâ viâ
Tenderes ad Patres,
Functus vitâ piâ.

Ant. Salve Patriarcharum &c.
℣. Ora pro nobis Bme Joſeph.
℟. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

Sanctiſſimæ &c. *ut ſupra.*

COMMENDATIO.

HAs Horas Canonicas cum attentione,
Dixi, Sancte Joſeph, tui ratione,
Ut ſis memor mei in oratione,
Ut vivamus ſimul in cœli regione. Amen.

SEMI-

SEMITA OCTAVA

Cultus SS. Joachim & Annæ Parentum B. V. Mariæ.

LITANIÆ de S. Matre ANNA.

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.

Chriſte audi nos.

Chriſte exaudi nos.

Pater de cœlis DEUS, miſerere nobis.

Fili Redemptor Mundi DEUS, miſerere nobis.

Spiritus Sancte DEUS, miſerere nobis.

Sancta Trinitas unus DEUS, miſerere nobis.

Sancta MARIA Filia benedicta SS. Joachim & Annæ, ora pro nobis.

Omnes ſancti Angelorum Chori, orate pro nobis.

Omnes ſancti & ſanctæ DEI, orate pro nobis. San-

Sancta Anna,
Electa DEI Patris,
Avia JESU Chriſti,
Inſtrumentum Spiritus ſancti,
Conſanguinea SS. Trinitatis,
Mater Genitricis DEI,
Sponſa ſancti Joachimi,
Socrus ſancti Joſephi,
Mater pauperum,
Filia Patriarcharum,
Gloria omnium Mulierum veſtris Teſtamenti,
Thalamus Reginæ Cœli,
Decus tui Sponſi,
Ornamentum Domûs Davidicæ,
Caſtiſſima inter omnes conjuges,
Speculum conjugij,
Exemplar virtutum,

Sancta Anna

Ora pro nobis.

Vas

Sancta Anna

Vas plenum Sanctitate,
Tabernaculum aureum,
Frutex de Radice Jeſſe,
Radix arboris vitæ,
Terra Sancta, in qua ſtetit Rubus Moyſis,
Nobile viridarium, in quo fructus ſalutis eſt ortus,
Caſtum Lilietum, ex quo flos Virginitatis progerminavit,
Fons vivus totius felicitatis noſtræ,
Oliva fructifera oleo miſericordiæ jugiter manans,
Refugium omnium te invocantium,
Patrona morientium,

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, Parce nobis Domine.

Agnus

Agnus Dei, qui tollis peccata
Mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata
Mundi, Miſerere nobis.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon,
Kyrie eleiſon.

Rythmus.

ANna pia Mater ave,
Cujus Nomen eſt ſuave,
Sonat quippe gratiam.
Ave Radix caſti floris,
Qui cæleſtis dat odoris
Perennem fragrantiam.
Ave Anna Conjugata
Joachimo, quibus nata
Proles ſine Maculâ.
Ave Parens ſtellæ maris,
Quam ſplendentem contem-
plaris
Super cœli ſidera.

Tu

Tu quæ ſola meruiſti
Eſſe Mater Matris Chriſti,
Preces noſtras ſuſcipe.
Tu nos ſanctæ Trinitati
Et Mariæ Pietati
Semper gratos effice.

℣. Ora pro nobis B. Anna.
℟. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, qui Beatæ Annæ tantam gratiam conferre dignatus es, ut Virginem MARIAM Matrem tuam in utero ſuo portare mereretur: da nobis per interceſſionem digniſſimæ Matris, & dulciſſimæ Filiæ propitiationis tuæ abundantiam, ut, quas devota mente veneramur, earum precibus ad cœleſte Hieruſalem perducamur. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amē.

ORA-

ORATIONES AD SS. JOACHIMUM ET ANNAM

Parentes B. V. MARIÆ

AD S. JOACHIM.

O Sanɛte Joachim, cui reɛtè id nomen eſt inditum, quod præparationem Domini ſignificat; Tu enim ad vivum Dei templum præparandum à Deo eleɛtus es, in quo Filio ejus unigenito habitare placuit. O beatiſſime Pater, à quo proceſſit illa Filia; quæ in Dei Matrem, ac Cœli terræque Reginam eſt aſſumpta! O quanto illam amore & reverentiâ excepiſti! qua curâ & ſollicitudine enutriviſti! quàm præclaro Humilitatis, Religionis, ac Pietatis exemplo, proli tuæ chariſſimæ, cunɛtiſque mortalibus præluxiſti! Tuis me precibus, ô S. Joachim adjuva,

juva, ut & ego gratum Deo domicilium in corde meo præparem, conſtantique pietatis affectu illud exornem. Amen.

AD S. MATREM ANNAM.

O Gratioſa Domina, ô benedicta Mater ANNA! benè ANNÆ, id eſt, Gratiæ, tibi Nomen obtigit; quia tibi cœlum vivum, omnibus cœlis majus, in benedicto utero tuo portare, & in hanc lucem edere à Deo conceſſum eſt; quem enim cœli cœlorum capere non poterant, Filia tua im̃aculato gremio ſuo concluſit. Tu es, ô electa Mater, Radix illa Virgæ Jeſſe, ex quâ flos pulcherrimus, fructuſque vitæ noſtræ dulciſſimus Chriſtus JESUS aſcendit. Lætare, ô Anna ſterilis; quoniam ex Filia tua Filius natus eſt nobis,

bis, cujus nomen vocatum eſt magni conſilij, hoc eſt, ſalutis totius mundi Angelus. Fac me, ô Mater benedicta, gratiæ, quam ex gratiarum fonte abundè hauſiſti, participem; ut in amore dilectiſſimi Nepotis tui Jeſu, & protectione dulciſſimæ Filiæ tuæ MARIÆ vivam & moriar. Amen.

Oratio ad ambos.

SS. JOACHIM ET ANNAM.

O Caſtum ac beatum par turturum Joachim & Anna, Vobis omnis creatura obſtricta eſt; per Vos enim donum omnium donorum præſtantiſſimum Creatori obtulit, nempe caſtam Matrem, quæ ſola Creatore digna erat, Veſtra dignitas ex im̃aculato ventris veſtri fructu cognoſcitur,

quem Dei perpetuo obſequio promptè conſecrâſtis. Cor meum, obſecro, junctam huic Sacrificio hoſtiam manibus veſtris Deo Omnipotenti offerte, omnesque hujus mei muneris defectus, veſtrâ, quam apud Deum invenistis, gratiâ compenſate. Amen.

Devota ſalutatio.

Ad eoſdem Sanctos parentes.

SAluto, & veneror, ac benedicto vos, ô beatiſſimi Parentes DEI Genitricis MARIÆ, Joachim & Anna! vobisque intimè congratulor de veſtra gloria, & ſublimi illa prærogativa, quâ vos DEUS ſuæ ſanctiſſimæ Genitricis præ cunctis Parentes elegit. Offero vobis augmentum gaudij, & gloriæ ejuſdem

JESU

n Nepotis veſtri, & MARIÆ
atæ ſanctiſſima corda: orate
m, & illam pro me, ut eis per-
è complaceam: gerite cu-
n mei, ut parentes filij: eſtote
i fideles in vita tutores, & in
rte dulciſſimi conſolatores:
ſtite mihi morienti; ut ſacro-
ctis Eccleſiæ Sacramentis
nmunitus, perfectè contri-
, totuſque mundus de hoc
ndo exeam, ac rectâ ad cœ-
n viâ perveniam. Per JESUM
riſtum Dominum noſtrum,
nen.

SEMITA NONA.

Cultus S. P. N. Franciſci.

LITANIÆ.

KYrie eleiſon, Chriſte elei-
ſon, Kyrie eleiſon.

Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere nobis.
Sancta Maria imaculatæ Conceptionis, Ora pro nobis.

Ora pro nobis.
Sancta Maria Advocata Franciſcanæ Religionis,
Sancte Franciſce Seraphice,
Sancte Franciſce, Pater prudentiſſime,
Sancte Franciſce, Patriarcha pauperum,
Sancte Franciſce, deſpiciens mundum,
Sancte Franciſce, exemplum pœnitentiæ,

San-

Sancte Franciſce, vincens mundi vitia,
Sancte Franciſce, Imitator Salvatoris,
Sancte Franciſce, ferens Chriſti ſtigmata,
Sancte Franciſce, Jesu characteribus inſignite,
Sancte Franciſce, Norma caſtitatis,
Sancte Franciſce Forma humilitatis,
Sancte Franciſce, florens gratiâ,
Sancte Franciſce, via errantium,
Sancte Franciſce, Medela infirmorum,
Sancte Franciſce, Columna Eccleſiæ,
Sancte Franciſce, Fidei Defenſor,

} Ora pro nobis.

Sanĉte Franciſce, Athleta Chriſti,
Sanĉte Franciſce, Propugnaculum militantium,
Sanĉte Franciſce, Scutum inexpugnabile,
Sanĉte Franciſce, Malleus hæreticorum,
Sanĉte Franciſce, Converſio Paganorum,
Sanĉte Franciſce, erigens claudos.
Sanĉte Franciſce, ſuſcitans mortuos,
Sanĉte Franciſce, mundans leproſos.

} Ora pro nobis.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.

Chri-

Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
℣. Ora pro nobis beate Pater Franciſce.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

DEUS ineffabilis potentiæ, cujus providentiâ vitæ noſtræ momenta decurrunt: adeſto ſervorum tuorum precibus & præſta, ut qui glorioſiſſimi Confeſſoris tui, Patris noſtri Franciſci, ſacram memoriam veneramur: Unigeniti tui limpidiſſimâ Majeſtatem ſuis præclaris meritis cernere feliciter mereamur. Qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Salutatio ad S. Patrem.

AVe, ave, ave, cordialiter inquam, ave Franciſce; ave

Pater dilectiſſime, paupertate, & charitate plene; Dominus in monte Alverniæ tecum: benedicta ſint ſacra tua vulnera, & benedictus amor ille tui cordis ſeraphicus, vivi Dei Filius, benedictus Jesus Chriſtus.

O humilis vir Franciſce! pauperum Patriarcha, nobis quæſo ſemper filijs tuis, licèt indignis, adſta, præſertim in horâ mortis noſtræ, Amen.

Oratio de vulneribus JESU Chriſti, & beati P. Franciſci.

DOmine Jesu Chriſte, Fili Dei vivi, ſuſcipe orationem hanc per immenſum, & pretioſum amorem tuum, ex quo omnia vulnera tua, & præcipuè illa quinque majora in Cruce recepta, ſuſtinere; nec non poſt ſanctam reſurrectionem

nem tuam in glorioſo corpore tuo illa reſervare, & tandem poſt multorum annorum curricula in corpore fideliſſimi ſervi, & amici tui Franciſci eadem renovare voluiſti; tribue nobis, quæſumus, ut per hæc ſancta vulnera, & peccatorum indulgentiam, & vitam obtineamus æternam, Amen.

Seraphice Pater, ſancte Franciſce, indignus ego peccator ſaluto, & veneror dexteræ manûs tuæ ſacrum vulnus, teque per illud rogo; ut dexteræ manûs Chriſti ſacratiſſimum vulnus ſalutare, eique pro eodem gratias agere adjuves: ſimul etiam mihi ab eo impetres; ut ejus auxilio bona peragere, & neglecta valeam recompenſare, Amen. *Pater noſter, Ave Maria.*

Seraphice Pater, S. Franciſce, miſer ego peccator ſaluto, & veneror ſiniſtræ manûs tuæ ſacrũ vulnus, téque per illud deprecor; ut pro me Chriſto gratias perſolvere, & ſacrum ſiniſtræ manûs ejus vulnus ſalutare adjuves, & à Deo impetres; ut mihi omnia contraria dulceſcant, & in cunctis adverſitatibus, & periculis protegi merear, Amen. *Pater noſter, Ave Maria.*

Seraphice Pater, S. Franciſce, indignus ego peccator ſaluto, & veneror dextri pedis tui ſacrum vulnus, téque per illud humiliter rogo; ut me in agendo Chriſto gratias, & ſacrum dextri pedis ipſius vulnus ſalutare adjuves, & pro me intercedas; ut detur mihi deſideranter, & cum audio currere viam manda-

torum

orum Dei pro ejus honore, ſi-
cut Chriſtus exultavit, ut cur-
reret viam Crucis pro mea ſalu-
te, Amen. *Pater noſter, Ave Maria.*

Seraphice Pater, S. Franciſce,
indignus ego peccator ſaluto, &
veneror ſiniſtri pedis tui ſacrum
vulnus, & precor te per illud,
ut ſiniſtri pedis Chriſti ſacratiſ-
ſimum vulnus ſalutare, & pro
eo eidem Redemptori meo gra-
tias agere me adjuves; ut ſic
ibidem optatam ſemper grati-
am, & peccatorum veniam faci-
liùs merear invenire, Amen.
Pater noſter, Ave Maria.

Seraphice Pater, S. Franciſce,
honore præcipuo veneror late-
ris tui ſacrum vulnus, teque eni-
xè precor; ut pretioſiſſimum la-
terale vulnus Jesu Chriſti ſalu-
tare, atque pro eodem eidem

Redemptori meo gratias agere me adjuves, & gratiam mihi impetres, quâ omnem cordis mei dilectionem, & ſpem in eodem ſacrato vulnere repoſitam habeam, quemadmodum & ipſe Chriſtus fideliſſimum ſuum amorem erga me ingratum peccatorem oſtendit, Amen. *Pater noſter, Ave Maria, Credo.*

Pro adjutorio ad S. Patrem.

SAncte Pater Franciſce, Pater amande, ac dilectiſſime; rogo te per ſacra ſtigmata Domini noſtri Jesu Chriſti; ut adjuves me regere quinque ſenſus corporis mei ad beneplacitum, & velle Dei omnipotentis: & perfice in me regularem diſciplinam, quam tu incepiſti: & obtine mihi à Domino Deo contritionem, & devotionem, fidem,

em, ſpem, charitatem, patien-
am, caſtitatem animi, & cor-
oris, & ſanctam obſervantiam
verbis, & factis, & in omni-
us his veram perſeverantiam,
t, conſummato vitæ præſentis
urſu, ad te pervenire merear,
bi tu gaudes de percepto præ-
nio laborum tuorum; & ut ibi-
em tibi congaudere merear,
bi omnis triſtitia exterminabi-
ur, & omnis dolor effugiet, &
empiterna manebit lætitia, quã
nihi JESUS Chriſtus MARIÆ
Virginis Filius, per interceſſio-
nem tuam, ſancte Pater, con-
edat, Amen.

OFFICIUM DE S. P. N. FRANCISCO

Ad Matutinum.

Amor Seraphicus incendat ſen-ſus & præcordia noſtra, A-men. ℣. Do-

℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Deus in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri & Filio &c.

HYMNUS.

DUm Mundus in virtutibus
Omnibus tepeſcit,
Et multis in ſceleribus
Miſerè putreſcit:
Franciſcus pro tot hominum
Anxius ſalute,
Hanc quærit apud Dominum,
Precandi virtute.

Ant. O Patriarcha pauperum, nos pauperes fac Spiritu, conſortes redde ſuperûm, ereptos ab interitu.
℣. Ora pro nobis B. P. Franciſce,
℟. Ut digni efficiamur &c.

Oremus,

Oremus.

DEUS, qui Eccleſiam tuam Beati Franciſci meritis fœ- novæ prolis amplificas: tri- ıc nobis ex ejus imitatione rrena deſpicere, & cæleſtium norum ſemper participatione udere. Per Dominum no- um Jesum Chriſtum &c.

AD PRIMAM.

nor Seraphicus &c. *ut ſupra.*

Deus in adjutorium &c. Domine ad adjuvandum &c. Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

Ox Zelo ſancto fervidus,
Ac tot animarum
rbo, exemplo avidus
Deo lucrandarum:
ıgno conatur ſtudio
Cœlo vendicare,

Quas

Quas tanto Chriſtus pretio
Voluit ſalvare.
Ant. O Patriarcha &c.
℣. Ora pro nobis &c.
℟. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

DEUS, qui Eccleſiam &c.

AD TERTIAM.

Amor Seraphicus &c.
℣. DEUS in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

HInc ut poſſet faciliùs
Iſtud adimplere,
Eundem Dei Filius
In ætatis Vere,
Sacram Minorum Vineam
Monuit plantare,
Et ſterilem Eccleſiam
Suam fœcundare.
Ant. O Patriarcha &c.

℣. Ora

Ora pro nobis, &c.
Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

EUS, qui Eccleſiam &c.

AD SEXTAM.

nor Seraphicus &c.
Deus in adjutorium &c.
Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

Unc & mirando opere
Sibi ſimilavit,
Volis, plantis, latere
Dum Stigmatizavit:
quod tota Eccleſia
uit informata,
anta in cœlo gloria
i ſit parata.
iph. O Patriarcha &c.
Ora pro nobis &c.
Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

Oremus.

DEUS, qui Eccleſiam &c.

AD NONAM.

Amor Seraphicus &c.
℣. DEUS in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

HOrâ ſui tranſitûs
Demum imminente,
Filijs circumſtantibus
Animo ardente
Suam commendat Dominam,
Sanctam paupertatem:
Et tunc emittit animam
In Beatitatem.

Antiph. O Patriarcha &c.
℣. Ora pro nobis &c.
℟. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

DEUS, qui Eccleſiam &c.

AD

AD VESPERAS.

nor Seraphicus &c.

Deus in adjutorium &c.

Domine ad adjuvandum &c.

Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

Ox poſt beatum tranſitum
cœpit coruſcare
nis, & his circuitum
Mundi illuſtrare:
nc & licebat vulnera
Chriſti revereri,
c non beati Stigmata
Patris intueri.

tiph. O Patriarcha &c.

Ora pro nobis &c.

Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

US, qui Eccleſiam &c.

AD COMPLECTORIUM.

nor Seraphicus &c.

℣. Con-

℣. Converte nos Deus ſalutaris noſter,

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. DEUS in adjutorium &c.

℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

CUm hymnis & luminibus
Sacrum corpus condunt,
Et Fratres cum concivibus
Pia vota fundunt.
Tu jam tuis virtutibus
Dita nos, precamur,
Ut dignis ſemper laudibus
Deum proſequamur.

Antiph. O Patriarcha. &c.

℣. Ora pro nobis &c.

℟. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

DEUS, qui Eccleſiam &c.

Commendatio

HAs horas Canonicas
Cum devotione

Tibi,

ibi, Pater, obtuli
Hac intentione,
t me, tuum filium,
In vocatione
irmes, & auxilium
Præſtes in agone. Amen.

SEMITA DECIMA
Cultus S. Antonij Paduani.

LITANIÆ

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.

Chriſte audi nos.

Chriſte exaudi nos.

Pater de Cœlis DEUS, miſerere nobis.

Fili Redemptor mundi DEUS, miſerere nobis.

Spiritus ſancte DEUS, miſerere nobis.

San-

Sancta Trinitas unus DEUS, miſerere nobis.

Sancta MARIA, Ora pro nobis.

Sancta DEI Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
S. Antoni de Padua,
Ordinis Minorum decus,
Lilium Virginitatis,
Gemma paupertatis,
Forma obedientiæ,
Speculum abſtinentiæ,
Vas redolens puritatis,
Stella ſplendens ſanctitatis,
Ornamentum morum,
Pulchritudo Paradiſi,
Arca Teſtamenti,
Armarium divinarum Scripturarum,
Doctor veritatis,
Prædicator gratiæ,
Extirpator vitiorum,

S. Antoni — Ora pro nobis.

Semi-

Seminator virtutum,
Malleus hæreticorum,
Pavor infidelium,
Conſolator afflictorum,
Conſcientiarum ſcrutator,
Martyr deſiderio,
Terror dæmonum,
Horror inferni,
Miraculorum patrator aſſidue & ubique,
Rerum deperditarum Patrone,

Ora pro nobis.

Propitius eſto, Parce nobis Domine.

Propitius eſto, Exaudi nos Domine.

Ab omni malo, Libera nos Dñe.

Ab omni peccato, Libera nos Domine.

Ab inſidijs diaboli, Libera nos Domine.

A pe-

A peſte, fame & bello,
A morte perpetua,
Per merita S. Antonij,
Per ardentiſſimum amorem ſancti Antonij,
Per propheticum ſpiritum ſancti Antonij,
Per ignitam prædicationem ſancti Antonij,
Per zelum martyrij ſancti Antonij,
Per integerrimam obſervantiam obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis S. Antonij,
In die judicij,

Libera nos Domine.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, Te rogamus audi nos.

Ut ignem divini amoris in nobis accendere digneris, Te rogamus audi nos.

Ut

Ut patrocinio ac protectione ſancti Antonij nos perfrui concedas,

Ut meritis S. Antonij veram contritionem, humilitatem, donum lachrymarum, ac ſanctam contemplationem nobis tribuas,

Ut interceſſione S. Antonij mundum, diabolum, ac carnem nos perfectè relinquere facias,

Ut ſancti Antonij ſuffragijs ſe commendantibus, in omni neceſſitate adeſſe digneris,

Ut nos exaudire digneris,

Fili DEI,

Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, *Pater noſter.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

RESPONSORIUM
S. BONAVENTURÆ AD S. ANTONIUM.

SI quæris miracula, mors, error, calamitas, dæmon, lepra fugiunt, ægri ſurgunt ſani.

Cedunt mare, vincula, membra, resque perditas petunt, & accipiunt juvenes, & cani.

℣. Pereunt pericula, ceſſat & neceſſitas, narrent hi, qui ſentiunt, dicant Paduani.

Cedunt mare, vincula, membra,

bra, resque perditas petunt, & accipiunt juvenes, & cani.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Cedunt mare, vincula, membra, resque perditas petunt, & accipiunt juvenes, & cani.

℣. Ora pro nobis B. Antoni.
℟. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

MItiſſime Deus, qui B. Antonium Confeſſorem tuum perpetuis illuſtras miraculorum ſplendoribus, concede propitius, ut, quæ per ejus merita fideliter petimus, ejus interceſſione efficaciter conſequamur. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pius Affectus

Ad S. Antonium.

O Sancte Antoni! candidum,

& ſuaviſſimum virginitatis liliſum, gemma pretioſa paupertatis, abſtinentiæ ſpeculum, forma puritatis, ſanctitatis ſplendidiſſima ſtella, Paradiſi pulchritudo, columna ſanctæ Eccleſiæ, Prædicator gratiæ, vitiorum extirpator, ſeminator virtutum, conſolator afflictorum, ardentiſſima divinæ charitatis, & amoris flamma, clarum ſydus Hiſpaniæ, nova lux Italiæ, reſplendens aſtrum Paduæ, æmule Seraphici tui Patris Franciſci, pacis & unitatis amator, mundanæ vanitatis contemptor, ſacræ Catholicæ fidei lumen, Martyr deſiderio, glorioſe hæreticorum triumphator, thaumaturgice prodigiorum operator, refugium ſecuriſſimum omnium ad te confugientium.

Tu,

Tu, ô ſancte Antoni! meruiſti tuis ſanctis brachijs conſtringere Filium DEI altiſſimi: tu ardentiſſimis tuis concionibus accendiſti in peccatorum mentibus divinæ charitatis flammam. Ego itaque miſer peccator enixè te rogo; ut me in tuum ſuſcipias patrocinium, & mihi impetres de peccatis veram contritionem, humilem mei ipſius agnitionem, lachrymarum donum, piam in orationibus attentionem, abſtinentiam à malo, anctæque contemplationis exercitium: Et tu, cùm ſis ardeniſſima divini amoris flamma, or meum frigidum, & tepidum gne charitatis DEI ita accende; t meipſum, mundum, carnem, c diabolum ſemper deſpiciam. men.

OFFICIUM
DE S. ANTONIO PADUANO
Ad Matutinum.

℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. DEUS in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

DUm Mundi in delicijs
Solet ambulare
Juventus, capta vitijs
Aſpera vitare,
Et ſenſualitatibus
Pravis indulgere,
Se ſtatuit Antonius
Deo devovere.

Ant. O Proles Hiſpaniæ, Pavor Barbarorum, nova lux Italiæ, nobile depoſitum Urbis Paduanæ, ter Antoni gratiæ Chri-

Chriſti patrocinium, ne prolapſis veniæ tempus breve creditum defluat inane.

℣. Ora pro nobis B. Antoni.
℞. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

ECcleſiam tuam, Deus B. Antonij Confeſſoris tui deprecatio votiva lætificet, ut ſpiritualibus ſemper muniatur auxilijs, & gaudijs perfrui mereatur æternis. Per Dominum noſtrum &c.

AD PRIMAM.

℣. DEUS in adjutorium &c.
℞. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

AUrelianam primitùs
Regulam profeſſus,
In arduis virtutibus
Miros fecit greſſus:

Vitam deinde pauperum
 Eligit Minorum,
Quem movit conſtans Martyrũ
 Mors Marochiorum.
Antiph. O Proles Hiſpaniæ &c.
℣. Ora pro nobis B. Antoni.
℟. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

Eccleſiam tuam &c. *ut ſupra.*

AD TERTIAM.

℣. DEUS in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
 Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

ANtonij ſub nomine
 Zelo Dei ductus,
Præclaros Sanctimoniæ
 Mox produxit fructus:
Diebus dum & noctibus
 Precibus vacabat,
Et auſteris operibus
 Carnem macerabat.

Antiph.

Antiph. O Proles Hiſpaniæ &c.
℣. Ora pro nobis B. Antoni.
℟. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

Eccleſiam tuam &c. *ut ſupra.*

AD SEXTAM.

℣. DEUS in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

PRæco deinde inclytus
Verbi Dei factus,
Id ſucceſſivè cælitùs
Eſt talentum nactus;
Ut doceret impios
Semitam Virtutis,
Et revocaret devios
In viam ſalutis.

Antiph. O Proles Hiſpaniæ &c.
℣. Ora pro nobis B. Antoni.
℟. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

Eccleſiam tuam &c. *ut ſupra.*

AD NONAM.

℣. DEUS in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

IN Scripturæ codicibus
Ita verſabatur,
Præripere quod omnibus
Palmam videbatur:
Sacrorum inde Codicum
Arca eſt vocatus,
Rectè Doctorum omnium
Gemma nuncupatus.

Antiph. O Proles Hiſpaniæ &c.
℣. Ora pro nobis B. Antoni.
℟. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

Eccleſiam tuam &c. *ut ſupra.*

AD VESPERAS.

℣. DEUS in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.

HYM-

HYMNUS.

Mpugnator acerrimus
Fit Hæreticorum,
error & pavor maximus
Turbæ paganorum:
iminator criminum,
Morumq́ue corrector,
lus periclitantium,
Clientum Protector.

ntiph. O Proles Hiſpaniæ &c.
. Ora pro nobis B. Antoni.
. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

Eccleſiam tuam &c. *ut ſupra.*

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos Deus ſalutaris noſter.
℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. DEUS in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

MUltis tandem laboribus
Fractus ægrotabat,
Suamque circumſtantibus
Mortem nuntiabat:
Iſtam, dum Fratres Populo
Volunt occultare,
Juventa mox in oppido
Cœpit divulgare.

Antiph. O Proles Hiſpaniæ &c.
℣. Ora pro nobis B. Antoni.
℟. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

Eccleſiam tuam &c. *ut ſupra.*

COMMENDATIO.

HAs horas Canonicas
Cum devotione
Dixi, ſancte Antoni,
Hac intentione,
Ut me juves in omni
Tribulatione,

Mihi

Mihi quoque præſens ſis
Mortis in agone,
Dignus ut efficiar
Cœli Regione, Amen.

RESPONSORIUM
S. Petri de Alcantara.

SI quæris miracula,
Ignis, grando, glacies,
Nix, procellæ, Spiritus,
Petro parent venti.
Cedit mors, ſors æmula,
Quæque morbi ſpecies,
Hoſtis fugit territus,
Adſtat dum cadenti.
℣. Celebrant oracula,
Invocatus quoties
Dona quòd hic cælitùs
Omni dat petenti.
Cedit mors, ſors æmula,
Quæque morbi ſpecies,
Hoſtis fugit territus,
Adſtat dum cadenti.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Cedit mors, ſors æmula;
Quæque morbi ſpecies,
Hoſtis fugit territus,
Adſtat dum cadenti.

℣. Ora pro nobis B. Petre.
℟. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

OMnipotens, ſempiterne Deus, qui per Sanctos tuos mirabilia ſemper operari digneris, te humiliter exoramus, ut ſicut per beatum Petrum de Alcantara petentium preces ad votum exaudire miſericorditer promiſiſti; ſic noſtras nunc per ejuſdem merita Supplicationes audias, & ſalutarem ſuper nos rorem tuæ Benedictionis effundas, ut ab omnibus malis liberi ad tuam miſericordiam feliciter per-

perveniremereamur. Per Dominum noſtrum Jesum Chriſtum Filium tuum; qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

SEMITA UNDECIMA.
Refectionis.
Benedictio Menſæ.

Ante Prandium Sacerdos benedicturus menſam incipit: Benedicite, *& alij repetunt*: Benedicite. *Deinde dicit*: ℣. Oculi omnium. ℟. In te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat &c. Kyrie elei-

eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. *Pater noſter.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

Oremus.

Bene✠dic Domine nos, & hæc tua dona✠, quæ de tua largitate ſumus ſumpturi. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde Lector: Jube Domne benedicere. *Benedictio.* Menſæ cœleſtis participes faciat nos Rex æternæ gloriæ ℟. Amen.

Poſt Prandium aguntur gratiæ hoc modo, dicto à Lectore. Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias.

Sacerdos dicit ℣. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua. ℟. Et Sancti tui benedicant tibi. Gloria Patri. Sicut erat &c.

Poſtea

Poſtea Sacerdos abſolutè dicit.

AGimus tibi gratias omnipotens Deus, pro univerſis beneficijs tuis: Qui vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Deinde alternatim dicitur Pſalmus: Miſerere, *vel* Laudate Dominum omnes gentes. *In fine,* Gloria Patri. Sicut erat &c.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. *Pater noſter, Secretò.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Diſperſit, dedit pauperibus.

℟. Juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi. ℣. Benedicam Dominũ in omni tempore. ℟. Semper laus ejus in ore meo. ℣. In Domino laudabitur anima mea.

℟. Au-

℟. Audiant manſueti, & lætentur. ℣. Magnificate Dominum mecum. ℟. Et exaltemus nomen ejus in idipſum. ℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.

Deinde ſine Oremus.

RETribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus, propter nomen tuum vitam æternam. ℟. Amen.

℣. Benedicamus Domino. ℟. DEO gratias. ℣. Fidelium animæ per miſericordiam DEI requieſcant in pace. ℟. Amen. *Pater noſter. Totum ſecretò. Quo finito. Sacerdos dicit:* DEUS det nobis ſuam pacem. ℟. Amen.

Ante Cœnam Sacerdos benedicturus menſam, incipit: Benedicite, *alij repetunt:* Benedicite. *Deinde dicit:* ℣. Edent pauperes & ſatu-

ſaturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum. ℟. Vivent corda eorum in ſæculum ſæculi. Gloria Patri, &c. Sicut erat &c. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.
Pater noſter. Secretò.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.

Oremus.

BEnedic ✠ Domine, nos, & hæc tua dona, ✠ quæ de tua largitate ſumus ſumpturi. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde Lector: Jube Domne benedicere. *Benedictio.* Ad cœnam vitæ æternæ, perducat nos Rex æternæ gloriæ. ℟. Amen.

Poſt Cœnam aguntur gratiæ hoc modo: dicto à Lectore. Tu autem Do-

Domine miſèrere nobis. ℟. Deo gratias.

Sacerdos dicit : ℣. Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus. ℟. Eſcam dedit timentibus ſe. Gloria Patri. Sicut erat &c.

Deinde ſine Oremus.

BEnedictus Deus in donis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, qui vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Pſalmus. Laudare Dominum omnes gentes. *Et reliqua ut ſupra.*

Et quando ſemel comeditur, omnia dicuntur ut in cœna. Prædictus modus benedicendi menſam, & agendi gratias, ſervatur omni tempore, præterquam diebus infraſcriptis, quibus ℣. *Et Pſalmi tantùm variantur.*

In

In Nativitate Domini uſque ad Cœnam Vigiliæ Epiphaniæ excluſivè, dicitur:

℣. Verbum caro factum eſt, Alleluja.

℟. Et habitavit in nobis. Alleluja. Gloria Patri, &c.

In fine dicitur. ℣. Notum fecit Dominus. Alleluja. ℟. Salutare ſuum. Alleluja. *Alia ut ſupra.*

Pſal. 97.

CAntate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.

Salvavit ſibi dextera ejus: & brachium ſanctum ejus.

Notum fecit Dominus ſalutare ſuum: in conſpectu gentium revelavit juſtitiam ſuam.

Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ: & veritatis ſuæ, domui Iſraël.

Vide-

Viderunt omnes termini terræ : ſalutare Dei noſtri.

Jubilate Deo omnis terra : cantate,& exultate,& pſallite.

Pſallite Domino in cithara, in cithara, & voce pſalmi : in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

Jubilate in conſpectu Regis Domini ; moveatur mare, & plenitudo ejus : orbis terrarum, & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini : quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in juſtitia ; & populos in æquitate.

Gloria Patri, &c.

Vel Laudate Dominum omnes gentes. *Qui Pſalmus ſemper ad beneplacitum dici poteſt etiam in alijs ſolemnitatibus.* *In*

In Epiphania, & per totam octavam. ℣. Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent Alleluja. ℞. Reges Arabum, & Saba dona adducent. Alleluja. Gloria Patri, &c.

In fine. ℣. Omnes de Saba venient. Alleluja. ℞. Aurum, & thus deferentes. Alleluja. Gloria Patri, &c.

Pſalmus 71.

DEUS judicium tuum regi da: & juſtitiam tuam filio regis.

Judicare populum tuum in juſtitia: & pauperes tuos in judicio.

Suſcipiant montes pacem populo: & colles juſtitiam.

Judicabit pauperes populi, & ſalvos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem.

Et permanebit cum ſole, & ante

ante lunam: in generatione, & generationem.

Deſcendet ſicut pluvia in vellus: & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.

Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis: donec auferatur luna.

Et dominabitur à mari uſque ad mare: & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum.

Coram illo procident Æthiopes: & inimici ejus terram lingent.

Reges Tharſis & inſulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent.

Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes ſervient ei.

Quia liberabit pauperem à potente: & pauperem, cui non erat adjutor.

Par-

Parcet pauperi, & inopi: & animas pauperum ſalvas faciet.
Ex uſuris, & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum coram illo.
Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo ſemper: tota die benedicent ei.
Et erit firmamentum in terra in ſummis montium, ſuperextolletur ſuper Libanum fructus ejus: & florebunt de civitate ſicut fœnum terræ.
Sit nomen ejus benedictum in ſæcula: ante ſolem permanet nomen ejus.
Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.
Benedictus Dominus Deus Iſraël: qui facit mirabilia ſolus.
Et benedictum nomen maje-

ſtatis ejus in æternum: & replebitur majeſtate ejus omnis terra, fiat, fiat. Gloria Patri, &c.

Feria V. in Cœna Domini dicitur abſolutè. ℣. Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem. *Deinde Pater noſter, totum ſecretò. Quo dicto, ſine pronunciatione aliqua, Sacerdos ſigno Crucis benedicit menſam: nec additur,* Jube Domne; *nec* Tu autē. *In fine repetitur.* ℣. Chriſtus factus eſt, *ut ſupra. Poſtea Pſalmus:* Miſerere mei Deus. *Quo finito ſine* Gloria Patri. *Secretò dicitur: Pater noſter. Deinde Sacerdos dicit abſolutè orationem.* Reſpice quæſumus, *ut in Officio, & non pronuntiatur.* Qui tecum, *nec*, Fidelium animæ. *Secretò dicitur, Pater noſter; nec additur.* Deus det, &c.

In Paraſceve eodem modo fit ſicut

in Cœna Domini: *ſed additur ad* ℣. Chriſtus factus eſt. Mortem autem Crucis.

Sabbatho ſancto dicitur: Benedicite. ℟. Benedicite. ℣. Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi. Alleluja. ℟. Venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum. Allel. Gloria Patri, &c. *In fine repetitur*. ℣. Veſpere autem. *ut ſupra cum* Gloria Patri. *Pſalm*. Laudate Dominum omnes gentes. Gloria Patri. *Et alia ut ſupra, in prima Benedictione.*

In die Paſchæ, & deinceps uſque ad Cœnam ſequentis Sabbathi: dicitur. ℣. Hæc dies, quam fecit Dominus, Alleluja. ℟ Exultemus, & lætemur in ea, Alleluja. Gloria Patri, &c.

In fine repetitur: ℣. Hæc dies. Gloria Patri, &c.

Pſalmus 117.

COnfitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

Dicat nunc Iſraël, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

Dicat nunc domus Aaron: quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

Dicant nunc, qui timent Dominum: quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

De tribulatione invocavi Dominum: & exaudivit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adjutor: & ego deſpiciam inimicos meos.

Bonum eſt confidere in Domino: quàm confidere in homine.

Bo-

Bonum eſt ſperare in Domino: quàm ſperare in Principibus.

Omnes gentes circuierunt me: & in nomine Domini, quia ultus ſum in eos.

Circumdantes circumdederunt me: & in nomine Domini, quia ultus ſum in eos.

Circumdederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis: & in nomine Domini, quia ultus ſum in eos.

Impulſus, everſus ſum, ut caderem: & Dominus ſuſcepit me.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutem.

Vos exultationis, & ſalutis: in tabernaculis juſtorum.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: dextera Domini fecit virtutem.

Non moriar, ſed vivam: & narrabo opera Domini.

Caſtigans caſtigavit me Dominus: & morti non tradidit me.

Aperite mihi portas juſtitiæ, ingreſſus in eas, confitebor Domino: hæc porta Domini, juſti intrabunt in eam.

Confitebor tibi, quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.

Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes: hic factus eſt in caput anguli.

A Domino factum eſt iſtud: & eſt mirabile in oculis noſtris.

Hæc dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.

O Domine ſalvum me fac, ô Domine bene proſperare: benedictus, qui venit in nomine Domini.

Be-

Benedicimus vobis de Domo Domini: Deus Dominus & illuxit nobis.

Conſtituite diem ſolemnem in condenſis: uſque ad cornu Altaris.

Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi, quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.

Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

Gloria Patri, &c.

In Aſcenſione Domini uſque ad Vigiliam Pentecoſtes excluſivè. ℣. Aſcendit Deus in jubilatione. Alleluja. ℟. Et Dominus in voce tubæ. Alleluja. Gloria Patri &c.

In fine dicitur: ℣. Aſcendens Chri-

Chriſtus in altum. Alleluja. ℟. Captivam duxit captivitatem. Alleluja. Gloria Patri, &c.

Pſalmus 46.

OMnes gentes plaudite manibus: Jubilate Deo in voce exultationis.

Quoniam Dominus excelſus, terribilis: Rex magnus ſuper omnem terram.

Subjecit populos nobis: & gentes ſub pedibus noſtris.

Elegit nobis hæreditatem ſuam: ſpeciem Jacob, quam dilexit.

Aſcendit Deus in jubilo: & Dominus in voce tubæ.

Pſallite Deo noſtro, pſallite: pſallite Regi noſtro, pſallite.

Quoniam Rex omnis terræ Deus: pſallite ſapienter.

Regnabit Deus ſuper gentes:

Deus

DEUS ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.

Principes populorum congregati ſunt cum DEO Abraham: quoniam dij fortes terræ vehementer elevati ſunt.

Gloria Patri, &c.

In Pentecoſte à Vigilia ejuſdem incluſivè uſque ad Cænam ſequentis Sabbathi excluſivè. ℣. Spiritus Domini replevit orbem terrarum Alleluja. ℟. Et hoc, quod continet omnia, ſcientiam habet vocis. Alleluja. Gloria Patri &c.

In fine ℣. Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Alleluja. ℟. Et cœperunt loqui. Alleluja.

Pſalmus 47.

MAgnus Dominus, & laudabilis nimis: in civitate DEI noſtri, in monte ſancto ejus.

Fundatur exultatione univer-

ſæ terræ, mons Sion: latera Aquilonis civitas Regis magni.

Deus in domibus ejus cognoſcetur: cùm ſuſcipiet eam.

Quoniam ecce reges terræ congregati ſunt: convenerunt in unum.

Ipſi videntes ſic admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt: tremor apprehendit eos.

Ibi dolores ut parturientis: in ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis.

Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei noſtri: Deus fundavit eam in æternum.

Suſcepimus Deus miſericordiam tuam: in medio templi tui.

Secundùm nomen tuum Deus ſic & laus tua in fines terræ: Juſtitia plena eſt dextera tua.

Læ-

Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Judæ: propter Judicia tua Domine.

Circumdate Sion & complectimini eam: narrate in turribus ejus.

Ponite corda veſtra in virtute ejus: & diſtribuite Domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

Quoniam hic eſt DEUS, DEUS noſter in æternum, & in ſæculum ſæculi: ipſe reget nos in ſæcula. Gloria Patri, &c.

SEMITA DUODECIMA,

Preces Veſpertinæ.

In nomine ✠ Patris, & Filij & Spiritus ✠ Sancti, Amen.

Benedicta ſit Sancta & individua Trinitas, nunc & ſemper, &

per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miſerere nobis.

Quinque puncta Exercitij Veſpertini.

1. Solve Deo grates. 2. Pete lumen. 3. Diſcute mentem. 4. Delicti veniam poſce. 5. Recide malum.

I. Gratiarum actio.

O Infinita Bonitas, gratias ex intimo corde ago tibi pro omnibus beneficijs tuis, quæ mihi indigno hodie, & totâ vitâ meâ tam liberaliter contuliſti. Sit tibi laus & gloria à me, & ab Electis tuis, in cœlo & in terra; & ab omni creatura tua, in ſæculorum ſæcula.

II. Petitio Luminis.

O Sapientia æterna, in multis

tis eheu! offendimus omnes, ſed delicta quis intelligit? Tu ô lux vera illumina tenebras meas, ut videam, & ſciam, quid deſit mihi. Tu nôſti omnia abſcondita Cordis; & omnes greſſus meos conſideras. Da ergo, ut quidquid hodie contra te, cogitando, loquendo, vel operando deliqui, id plenè recogitem tibi in amaritudine animæ meæ.

III. Diſcuſſio Conſcientiæ.

O Scrutator Cordium & renum Deus; infelix ego peccavi hodie in cœlum & coram te: & quomodo poſſum celare te, qui prævidiſti omnes vias meas, & intellexiſti cogitationes meas de longè? Quid faciam tibi, ô Cuſtos hominum? Heu me Domine; Peccavi, & delicta mea à te non ſunt abſcondita. Sed &

ſi meipſum dijudico, en reprẽhendit me cor meum, in his maximè peccatis. *Hîc examina conſcientiam tuam.*

IV. Petitio veniæ.

O Pater Miſericordiarum, qui non lætaris in perditione peccatorum, reſpice me ſecundùm multitudinem miſerationũ tuarum. Ego omnes offenſas hujus diei, & totius vitæ meæ depono in abyſſum æternæ charitatis tuæ, quâ dilexiſti nos. Doleo ex intimo corde meo, me tam ingratum fuiſſe tot beneficijs tuis, & toties te Deum & ſummum bonum meum offendiſſe. Precor per mortem & amorem Filij tui Jesu Chriſti, parce miſero, & dimitte mihi clementiſſimè, quidquid hodie, vel unquam in te, proximum, & meipſum peccavi.

V. Pro-

V. Propoſitum Emendationis.

O Potentiſſime Deus, ſine cujus Numine nihil eſt in homine, coram te & omni Curia cæleſti propono firmiter, exactiùs Regulam voluntatis tuæ ſequi, mores corrigere, vocationi meæ magis attendere; peccata ſimul, ac peccandi occaſiones devitare. Verùm hæc ego quidem volo; ſed ſine te non valeo. Tu ergo qui das velle; adde etiam poſſe, ac perficere. Da quod jubes, & jube quod vis; ut ſobriè, juſtè, & piè vivam in hoc ſæculo, & æternùm te laudem cum Sanctis tuis in futuro. Amen.

TESTAMENTUM
Chriſtiani hominis indies veſperè faciendum.

IN Nomine SS. Trinitatis Patris ✝ & ✝ Filij, & Spiritûs ✝ San-

Sancti, Ego animam meam trado & commendo Deo meo: Corpus autem terræ, vermibus, & corruptioni. Libens deſero omnes hujus vitæ illecebras, quæ nihil ſunt niſi vanitas vanitatum & omnia vanitas. Deteſtor peccata mea, quia diſplicent Deo infinito bono, quem amo ſuper omnia: ex amore Dei animitùs ignoſco omnibus inimicis meis.

Credo in Deum, unúm in eſſentia & trinum in perſonis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, qui eſt Creator, Redemptor, & Sanctificator meus infinitè potens, ſapiens & bonus, credo firmiter, quidquid credendum ſancta Mater Eccleſia proponit.

Spero à divina Bonitate remiſ-

miſſionem peccatorum, gratiam & vitam æternam. Amo Deum ex toto corde; ex tota mente, & ex omnibus viribus meis.

Subijcio me penitus & perfectè omni illi, quidquid de me Sanctiſſima & ſemper adoranda Dei voluntas diſpoſuerit. Paratus ſum facere & pati, vivere & mori, uti placitum eſt ante te, mi Deus, fiat voluntas tua ſicut in Cœlo & in terra.

Commendo corpus & animam meam patrocinio glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, Matris & Patronæ meæ dilectiſſimæ, S. Joſephi, S. Angeli mei Cuſtodis, S. P. N. Franciſci, S. Antonij Paduani, SS. Joachim & Annæ & omnium Sanctorum quos demiſiſſimè obteſtor, ut mihi

ad-

adeſſe velint nunc & in hora mortis meæ.

Ultima mea verba erunt Jesus Maria, & Joseph. In horum amplexu vivere & mori volo, & ſi Sancta hæc nomina tum lingua non poſſet eloqui, eloquetur illa Cor meum. Et ſi uſus rationis in hora mortis deſtituar, jam proteſtor, jam enuntio pro tunc, omni poſſibili ardore, reverentia, & ſubmiſſione Jesus, Maria, Joseph.

Commendatio ad Deum

IN benedictas manus tuas, Domine Deus meus, & in ſinum pijſſime providentiæ tuæ me, & omnes, maximè verò, pro quibus orare teneor, quoad Corpus & animam protegendos, gubernandos, & conſervandos nunc,

&

& in hora mortis commendo. Dignare nos ſub alas paternæ protectionis tuæ ſuſcipere, ab omni malo cuſtodire, immaculatos conſervare, & tuæ Sanctiſſimæ voluntati in omnibus conformare, ut in te æternaliter quieſcere mereamur. Qui vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

COMMENDATIO

Ad dulciſſimum Cor JESU.

O Cor JESU dulciſſimum, tibi commendo hac nocte cor & corpus meum, ut in te dulciter requieſcant. Et quoniam ego jam obdormiturus Deum laudare nequeo, tu illud pro me ſupplere digneris, ita, ut quot pulſus cor meum hac

nocte dederit, tot laudes San-ctiſſimæ Trinitati pro me per-ſolvas, omnémque halitum, qué ſpiravero, in te ſuſceptum, ei-dem tanquam vivas amoris ſcin-tillas offeras. Amen.

Ad B. V. MARIAM.

O Domina mea ſancta MARIA! me in tuam benedi-ctam fidem, ac ſingularem cu-ſtodiam, & in ſinum miſericor-diæ tuæ hac nocte, & ſemper, & maximè in hora exitûs mei, ani-mam, & corpus com̃endo. Om-nem ſpem, & conſolationem meam, vitam, & finem vitæ meæ tibi committo: ut per tuam ſan-ctiſſimam interceſſionem, & per merita tua, omnia mea dirigan-tur, & diſponantur opera ſe-cundùm tuam, tuíque Filij ſan-

ctiſ-

ctiſſimam voluntatem, & ſub protectione ejuſdem dilecti Filij tui hac nocte ſecurus deliteſcere, & callidi hoſtis inſidias effugere poſſim, Amen.

Monſtra te eſſe Matrem nunc, & ſemper, & in æternum, ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA!

Ad S. Angelum Cuſtodem.

O Amantiſſime Angele DEI! qui hucuſque tam fidelis Cuſtos es mei, dignare inſuper hac nocte cor, & corpus meum immaculatum conſervare; ut tecum merear SS. Trinitatem, æternaliter comtemplari, amare & glorificare, Amen.

Ad SS. Patronos.

O Sancte Pater Franciſce, & vos omnes Sancti mei Patroni N.N. & omnes electi Dei ſup-

ſupplete vices fragilitatis meæ in benedicendo, laudando, & ſuperexaltando Domino noſtro: miſericordias ejus in æternum cantantes, & gratiam mihi impetrare, in gratia ejus vivendi, hac nocte quieſcendi moriendi, & gloriâ ejuſdem vobiſcum in æternum perfruendi, Amen.

Pro Defunctis.

MEmor eſto, benigniſſime Deus, miſericordiam tuarum, quæ à ſæculo ſunt. Da fidelibus omnibus defunctis refrigerium, & requiem ſempiternam: deſcendat pijſſimè Jesu ſanguinis tui roſei effuſio in purgatorium, & recreet, refrigerétque omnes animas ibi captivas. Libera eas, Domine Deus noſter, ex omnibus anguſtiis earum, & perduc eas ad requiem ſem-

ſempiternam, Amen. *Pater noſter, Ave Maria.*

Benedictio.

PAx Domini noſtri JESU Chriſti, & virtus ſacratiſſimæ Paſſionis: ſignum ſanctæ Crucis, & integritas beatiſſimæ Virginis MARIÆ, benedictio omnium Sanctorum, & Suffragia omnium Electorum DEI ſint inter me, & omnes inimicos meos viſibiles, & inviſibiles nunc, & ſemper, & maximè in hora mortis meæ. In Nomine ✝ Patris, & Filij ✝, & Spiritûs ✝ ſancti, Amē.

Ad aquam benedictam.

ASperges me, Domine, Hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Has ſacras quatuor litteras J. N. R. J. *ſcribe in fronte, & ſimul pronuncia.* JESUS

Jesus Nazarenus Rex Judæorum, hic titulus triumphalis Salvatoris mei Jesu Chriſti, præſervet me à ſubitanea, improviſa, & mala morte. Fugite partes adverſæ, vicit Leo de tribu Juda. Radix David Alleluja.

Dum ſtratum ingrederis.

IN Nomine Domine noſtri Jesu Chriſti Crucifixi cubitum eo, qui me redemit ſuo pretioſo Sanguine: ille me ✝ benedicat, regat, & hac nocte ab omni malo cuſtodiat, & poſt hanc miſeram vitam perducat me ad vitam æternam, Amen.

In ſtrato jam cubans.

IN manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum: redemiſti me Domine, Deus veritatis. In pace in idipſum dormiam & requieſcam.

Via Franciſcanæ Finis. AP-

APPENDIX
Ad Viam Franciscanam
Comprehendens diverſas Abſolutiones, Benedictiones, Sententias ſpirituales &c.

Forma Abſolutiones Generalis publicæ

Dicto Confiteor &c. *Abſolvens dicat*: Miſeratur &c. Indulgentiam &c.

DOminus noſter Jesus Chriſtus per ſuam pijſſimam miſericordiam, & per meritum ſuæ ſacratiſſimæ Paſſionis vos abſolvat, & ego authoritate ipſius Dei omnipotentis, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, nec non auctoritate privilegiorum per quoſcunque Romanæ Eccleſiæ Pontifices Or-

dini noſtro indultorum, abſolvo vos à ſententijs Excommunicationis, Suſpenſionis & Interdicti, diſpenſando vobiſcum in omni Irregularitate, ſi quam contraxiſtis: & reſtituo vos Communioni Fidelium, & Sacramentis Eccleſiæ. Abſolvo etiam vos à transgreſſione Regulæ & Statutorum, relaxando pœnas in eis contentas. Abſolvo etiam vos ab omnibus peccatis veſtris. In nomine Patris ✠, & Filij & Spiritûs ſancti. Amen.

Benedictio Dei Patris omnipotentis, ✠ & Filij ✠, & Spiritûs ✠ Sancti, interceſſio Glorioſæ Virginis Mariæ, Beati Patris noſtri Franciſci, Beatæ Claræ, & omnium Sanctorum deſcendat ſuper Congregationem hanc, & maneat ſemper, Amen.

Forma

Forma Abſolutionis generalis, quæ dari ſolet Fratribus in extremis conſtitutis.

Dicto Confiteor. *Sacerdos dicit:* Miſereatur,&c. Indulgentiã,&c.

DOminus noſter Jesus Chriſtus per merita ſuæ ſacratiſſimæ paſſionis te abſolvat, & gratiam ſuam tibi infundat: & ego authoritate ipſius, ac beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Summorum Pontificum mihi in hac parte commiſſa, & tibi conceſſa, te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis majoris, vel minoris, & ab omni ſententia ſuſpenſionis, & interdicti; & diſpenſo tecum in omni irregularitate, ſi quam contraxiſti, & reſtituo te unioni, & participationi fidelium,

nec non ſanctis Sacramentis Eccleſiæ.

Eadem authoritate ego te abſolvo ab omni transgreſſione votorum tui Ordinis, & Statutorum Papalium, Generalium, Provincialium, Cuſtodialium, Localium, & Synodalium quorumcunque. Eadem authoritate ego te abſolvo ab omni divino Officio malè perſoluto, Horis indebitè transpoſitis, vel omiſſis.

Item eadem authoritate ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis, quibus contra DEUM fragilitate humana, ignorantiâ, vel malitiâ deliquiſti: concedens tibi remiſſionem, & Indulgentiam plenariam omnium peccatorum tuorum confeſſorum, & cunctorum, de quibus etiam

non recordaris, aut oblitus fuiſti; in quantum claves Eccleſiæ ſe extendunt.

Item eadem authoritate ego te abſolvo à pœnis purgatorij, quas pro peccatis commiſſis, & delictis in hoc mundo perpetratis meruiſti; reſtituendo te illi ſtatui innocentiæ, in quo eras, quando baptizatus fuiſti, In Nomine ✠ Patris, & ✠ Filij, & ✠ Spiritûs ſancti, Amen.

Quòd ſi hac vice non deceſſeris, reſervo tibi hanc gratiam uſque ad extremum mortis tuæ articulum.

Hoc maximum Privilegium Indulgentiarum in mortis articulo Religioſis clauſtralibus hac conditione, & onere à ſummis Pontificibus conceſſum fuit, ut qui legere ſciunt, Pſalmos Pœnitentiales cum ſuis Litanijs

nijs omnium Sanctorum, verſibus, & orationibus annexis dicant toties, quot hebdomadæ ſunt in anno, videlicet 52. Qui verò legere neſciunt, debent alia pia opera ad arbitrium ſui Confeſſarij facere. Vide Theat. Reg. v. abſol. n. 18.

Forma Abſolutionis Generalis, quæ dari ſolet Chordigeris in extremis conſtitutis.

Dicto Confiteor, &c. *ut ſupra.*

DOminus noſter JEsus Chriſtus per merita ſuæ ſacratiſſimæ paſſionis te abſolvat, & gratiam ſuam tibi infundat: & ego authoritate ipſius, ac beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſummorum Pontificum mihi in hac parte commiſſa, & tibi conceſſa, te abſolvo ab omni vinculo excom̃unicationis majoris, vel minoris, ſi quod

quod incurriſti, & reſtituo te unioni, & participationi fidelium, nec non ſanctis Sacramentis Eccleſiæ.

Item eadem authoritate ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis, tibiq́ue relaxo omnes pœnas purgatorij, quas pro peccatis tuis meruiſti: concedens tibi remiſſionem, & Indulgentiam plenariam omnium peccatorú: & reſtituo te illi ſtatui Innocentiæ, in quo eras, quando baptizatus fuiſti. In Nomine ✝ Patris, & ✝ Filij, & ✝ Spiritus ſancti, Amen.

Quòd ſi hac vice non deceſſeris, reſervo tibi hanc gratiam uſque ad extremum mortis tuæ articulum.

Forma Abſolutionis tempore Jubilæi.

DOminus noſter JESUS Chriſtus per ſuam pijſſimam miſericordiam te abſolvat. Et ego poteſtatis Apoſtolicæ plenitudine mihi pro hac vice conceſſa, abſolvo te, quatenus poſſum & debeo, ab omni vinculo Excommunicationis, Suſpenſionis, (*ſi in Sacris eſt*) & Interdicti, ſi quod incurriſti. Et eadem auctoritate abſolvo te ab omnibus peccatis tuis: Iterum abſolvo te ab omnibus pœnis in Purgatorio debitis, & Indulgentiam tibi concedo pleniſſimam virtute hujus ſancti Jubilæi. In nomine Patris, ✝ & Filij, & Spiritûs ſancti, Amen.

Forma abſolvendi eos, qui nunquam fuerunt Catholici.

Præmiſſa Profeſſione Fidei dicatur Pſalmus. Miſerere mei Deus &c. *quo finito dicat Abſolvens.*

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. *Pater noſter &c.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvum fac ſervum tuum, *vel* ancillam tuam.

℟. Deus meus ſperantem in te.

℣. Eſto ei, Domine, Turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Dñe exaudi orationẽ meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Abſolutio in foro fori.

DOminus noſter Jesus Chriſtus te abſolvat, & ego auctoritate ipſius, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, mihi in hac parte commiſſa, abſolvo te ab omni vinculo Excommunicationis, quo teneris propter hæreſim N. in qua hactenus vixiſti; & incorporo te gremio ſanctæ Matris Eccleſiæ, Communioni Fidelium, & participationi Sacramentorum ejuſdẽ ſanctæ Romanæ, ac verè Apoſtolicæ Eccleſiæ. In Nomine Patris, ✝ & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.

Abſolutio in foro Conſcientiæ poſt peractam Confeſſionem.

Dicto Miſereatur tui *&c.* Indulgentiam *&c. Subjungat abſolvens.*

DOminus noſter Jesus Chriſtus

ſtus te abſolvat, & ego authoritate ipſius, & ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, nec non ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ N. mihi commiſſa, te abſolvo ab omni vinculo Excommunicationis, quo teneris propter hæreſim, in qua ab incunabulis vixiſti, & incorporo te gremio ſanctæ Matris Eccleſiæ; communioni fidelium, & participationi Sacramentorum ejusdem ſanctæ Romanæ Catholicæ, & veræ Apoſtolicæ Eccleſiæ. Deinde eadem authoritate ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis. In nomine ✝ Patris, & ✝ Filij, & ✝ Spiritûs ſancti, Amen.

Forma abſolvendi Apoſtatas à fide in foro conſcientiæ.

Dicto Miſereatur *&c.* Indulgentiam *&c. ſubjungat abſolvens.*

DOminus noſter JESUS Chriſtus te abſolvat, & ego authoritate ipſius, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, nec non ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ N. mihi commiſſa te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis, quam incurriſti propter Apoſtaſiam à fide, & errores, quos fortaſſis etiam alijs tradidiſti, & reſtituo te gremio ſanctæ Matris Eccleſiæ, & communioni fidelium, & participationi Sacramentorum ejuſdem ſanctæ Romanæ Catholicæ, & veræ Apoſtolicæ Eccleſiæ. Deinde eadem authoritate ego te ab-

abſolvo ab omnibus peccatis tuis. In Nomine ✝ Patris, & ✝ Filij, & ✝ Spiritûs ſancti, Amen.

Forma abſolvendi ab Excommunicatione majori in foro Conſcientiæ. Item diſpenſandi ſuper Irregularitate.

Dicto Miſereatur *&c.* Indulgentiam *&c. ſubjungat abſolvens.*

DOminus noſter JESUS Chriſtus, qui eſt ſummus Pontifex, te abſolvat, & ego authoritate ipſius, mihi licèt indigno conceſſa, abſolvo te inprimis à vinculo Excommunicationis, quam incurriſti propter (*Clerici percuſſionem &c.*) & reſtituo te ſanctis Sacramentis Eccleſiæ; Communioni & Unitati Fidelium, Suſpenſionis, (*ſi in ſacris eſt*) & interdicti, in quantum poſſum, & tu indiges. Et

 diſpen-

diſpenſo tecum (*ſi eſt irregularis*) ſuper irregularitate, quam incurriſti propter (*tale vel tale*) & habilito te ad actus legitimos. Deinde ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris ✝ & Filij, & Spiritûs ſancti, Amen.

Benedictio Chordularum

Pro Fratribus & Sororibus Archi-Confraternitatis S. P. N. Franciſci.

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

℣. Sit Nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEUS, qui ut ſervum redimeres, Filium tuum funibus ligari voluiſti: bene ✠ dic quæſumus, cingulum iſtud; & præſta, ut famulus tuus (*vel* famula tua) qui eo velut ligamine pœnitentiali cingetur: vinculorum ejuſdem Domini noſtri Jesu Chriſti perpetuò memor exiſtat; & in Confraternitate, in quam aſſumitur, perenniter perſeverans, tuis cum effectu ſemper obſequijs ſe alligatum eſſe cognoſcat. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amē.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus,

us, qui peccatoribus veniam, & miſericordiam quærentibus tuæ propitiationis Indulgentiam tribuis: oramus immenſam clementiam tuam; ut hanc chordam benedicere ✠ & ſanctificare ✠ digneris; ut qui eâ pro peccatis ſuis cinctus fuerit, & immenſam pietatem tuam imploraverit, veniam, & Indulgentiam tuæ ſanctæ miſericordiæ conſequatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ, & cingendo Confratrem dicatur.

PRæcingat te Dominus Cingulo puritatis, & extinguat in lumbis tuis humorem libidinis; ut maneat in te virtus continentiæ, & caſtitatis. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Benedictio danda Fratribus in fine jejunij benedicti.

DOminus noſter Jesus Christus, qui per jejunium 40. dierum deſertum ſanctificavit, ille vos benedicat & ſanctificet, & ad hoc ſacrum jejunium ulteriùs peragendum, proſequendumque quoad vixeritis, animum viresque concedat. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Tum aſpergens Superior Fratres aquâ benedictâ dicat.

Pax & Bene ✠ dictio Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus S. deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. Amen.

Senten-

Appendix

Sententiæ ſpiritualis ſexaginta valdè notabiles.

I.

CORonam in Religione labor præcedit & pugna.

2. Tutus in Religione vivit, non qui ſibi, ſed qui Deo vivit.

3. Semper deficit Religioſus, qui in ſua vocatione non ſemper proficit.

4. Religioſus qui aliena curat, ſibi ſuiſque deeſt.

5. Deo ſervire non poteſt Religioſus, qui ſibi non dominatur.

6. Non quamdiu in Religione fueris, ſed quàm bene in ea vixeris, refert.

7. Furtum facit, qui ſinè fructu in Religione vivit.

8. Quomodo morietur in Domino Religioſus, qui in vita pro Domino non laboravit?

9. Malè

9. Malè utitur cella, qui in ea vel non agit cum Chriſto, vel non laborat pro Chriſto.

10. Neſcit ſe amare Religioſus, qui nimium ſibi indulget.

11. Vult Deus ſervum ſuum cordatum, non delicatum.

12. Non Deo, ſed ſibi ſervit, qui in Dei ſervitio ſua procurat commoda.

13. Væ, væ, illi, qui inter bonos malus eſt.

14. Non eſt humilis Religioſus, qui dedignatur vel non optat ſperni.

15. Non eſt pauper, qui paupertatis non ſentit incommoda.

16. Non eſt caſtus, qui caſtitatis hoſtes non illicò fugat.

17. Non eſt obediens, qui obediendo proprium ſequitur judicium.

18. Religioſum ornat quidem ſcientia, ſed virtus coronat.

19. Væ tibi, qui alios verbo inſtruis, & exemplo deſtruis.

20 Venenum Religioſi, propria voluntas.

21. Cùm per urbem incedis, memento te Religioſum eſſe, non Pictorem.

22. Væ Religioſo, cui cordi magis eſt ſanitas quàm ſanctitas.

23. Servus Dei non vivit ut comedat, ſed comedit ut vivat, & ſerviat Deo.

24 Servus Chriſti pro Dei amore non curat propria incommoda.

25. Religioſus negligens, lætitia Dæmonis.

26. Religioſus curioſus, oblivio ſui.

27. Quo magis laboras pro Chri-

Chriſto, eo plus debes Chriſto, quia fructus tuus eſt.

28. Abſit à Religioſo vocem habere Jacob,& manus Eſau.

29. Lingua Religioſi, cordis mentiſqúe tuba.

30. Religioſorum exempla, mors & vita ſæcularium.

31. Quomodo eris lux mundi, ſi neque tibi luces?

32. Neſcit lucrari Chriſtum, qui neſcit pati pro Chriſto.

33. Bonus Religioſus non minus charus eſt Deo infirmus, quàm ſanus.

34. Non erit clamor in valetudinario, ſi patientia fuerit in infirmo, & charitas in infirmario.

35. Non Religiosè vivit, qui venialia non curat.

36. Si venialia in ſæculari diſplicent Deo, nunquid placebunt in Religioſo?

37. Religioſum otioſum Dæmon venatur & capit.

38. Religioſus litigioſus, officialis Dæmonis.

39. Non eſt familiaris Deo, qui non eſt amicus orationis.

40. Extra ſæculum nondum eſt Religioſus, quem Affinium nimia ſolicitudo tenet.

41. Veluti pilâ ludit Dæmon Religioſo vano.

42 Alijs prodeſſe, & ſibi nocere, ſtultitia eſt, non charitas.

43. Bonus Religioſus ſpernit mundum, & gaudet ſe ſperni à mundo.

44. Servus Chriſti ſtudet eſſe ſanctus, & non cupit videri ſanctus.

45. Nihil Chriſto dediſti, ſi ei cor tuum totum non dediſti.

46. Religioſus fervens, flagellum Dæmonum.

47. Re-

47. Religioſus iracundus, fulmen inferni cuncta perturbans.

48. Religioſus manſuetus, decentia ſtatus, & ornamentum Religionis.

49 Quid tibi proderit reliquiſſe ſæculum, niſi pœnitentiam in Religione egeris?

50 Servus Chriſti patienter tolerat, parcè loquitur, & multùm laborat pro Chriſto.

51. Religioſus indifferens; Religionis gemma pretioſa.

52. Te reliquiſſe mundum, bonum eſt, ſed agere ut mundus jam relinquat te, meliùs eſt.

53. Ille verè eſt Religioſus, qui verè dicit

DEUS MEUS ET OMNIA.

54. Religioſus proprietarius plus amittit quàm furatur.

55. Inquietè vives, ſi una in te

regnet paſſio, etiamſi reliquæ mortificatæ ſint.

56. Non ſuperiorem, ſed ſe fallit ſubditus; qui pro *nolle* dicit ſe non poſſe.

57. Qui ſuum ſuperiorem non habet loco Dei, nec Deus habebit eum loco filij.

58. Si in Religione inter bonos non es bonus, quomodo in ſæculo inter malos bonus eris?

59. Qui in Religione pacem vult habere cum fratribus, nemini contradicat.

60. Ingratus Religioſus ille eſt, qui putat ſe plus contuliſſe Religioni, quàm accepiſſe ab ea.

Incitamenta ad bene vivendum & moriendum:

Unum porrò eſt neceſſarium. *Luc.* 10.

1. ANimam habes *unicam*, quæ ſi ſemel

ſi ſemel perierit, aliam ſubſtituere non poteris.

2. *Morte* morieris *unica* certiſſima, modo & hora incertiſſima: ſi mors hæc mala fuerit, actû eſt.

3. *Judicem* habes *unicum*; coram quo ſi causâ cadis, appellare ad alium non potes.

4. *Cœlum* ſperas *unicum*; à quo ſi excluſus fueris (*& arcta eſt janua*) Infernus te certò manet.

5. *Æternitas* ſequetur *unica*; quæ ſi non fuerit felix, per infinita ſæcula infeliciſſimus eris.

6. *Sententiam* audies *unicam*; ſi non hanc: *Venite Benedicti*, neceſſariò illam: *Ite maledicti*.

7. *Deum* habes *unicum*; cui ſi non ſervis, hoc ipſo diaboli mancipium efficeris.

8. *IESUM Salvatorem* habes *unicum*; quem ſi vocantem non

audies, ipſe in interitu tuo flebiliter ridebit.

Vnum denique eſt *neceſſarium*; aut *benè* æternum, aut *malè*. Tu, ut *benè* tibi ſit æternum, dum tempus eſt, *bene vive & vale*.

ELENCHUS

Feſtorum, & Sanctorum Ordinis S. Franciſci, quorum Officium celebratur cum Indulgentijs. Plenariæ verò Indulgentiæ Chriſti fidelibus in ejuſdem Ordinis Eccleſijs conceſſæ, denotantur litteris

I. P.

JANUARII.

1. *FEſtum Circumciſionis Dñi.* *I. P.*
6. *Feſtum Epiphaniæ Domini* *I. P.*
14. *Feſtum SS. Nominis JESU.* *I. P.*

16. SS. *Martyrum Berardi, Petri, Accurſij, Adjuti, & Othonis. I. P.*
31. *B. Ludovicæ Albertoniæ, Vid.*

FEBRUARII.

2. *Feſtum Purificationis B. Mariæ Virginis. I. P.*
5. *BB Petri & Sociorum Martyrum Japonenſium. I. P.*
7. *B. Antonij de Stronconio, C.*
15. *Translatio ſancti Antonij de Padua Conf.*
19. *B. Conradi Placentini, Conf.*
23. *B. Margaritæ de Cortona, Vid.*

MARTII

6. *B. Coletæ Virginis.*
8. *S. Roſæ Virginis Viterb.*
11. *B. Catharinæ Bonon. Virg.*
14. *Transl. S. Bonavent. Epiſc. Conf.*
24. *S. Gabrielis Archangeli.*
25. *Feſtum Annuntiationis B. Mariæ Virginis. I. P.*

APRILIS.

Reſurrectio Domini N. J. Chriſti. I P.

28. *Translatio S. Petri de Alcantara Conf.*

MAII.

Fer. 2. Rogat. Translatio S. Didaci Conf.

13. *B. Petri Regalati Conf.*

17. *S. Paſchalis Conf.* I. P.

18. *Translatio S. Bernardi Senenſis Conf.*

19. *B. Felicis Confeſs.*

20. *S. Bernardini Senenſis, Conf.* I. P.

25. *Translatio S. P. N. Franciſci.*

Feſtum Aſcenſionis Domini. I. P.

JUNII.

Feſtum Pentecoſtes.

Feſtum Corporis Chriſti.

13. *S. Antonij de Paudua Conf.* I. P.

29. *SS. Petri & Pauli Apoſt.* I. P.

JULII.

2. *Feſtum Viſitationis B. Mariæ Virginis.* I. P.

4. *S. Eliſabet Vid. Reg. Portug.*

9. BB. Nicolai & Soc. Mart. Gorcomienſium.
14. S. Bonaventuræ Epiſc. Conf. I. P.
24. B. Franciſci Solani Conf.

AUGUSTI.

2. Feſtum Portiunculæ, ab ipſomet Chriſto conceſſa I. P.
4. S. Dominici Confeſſ. I. P.
12. S. Claræ Virginis. I. P.
15. Aſſumptio B Mariæ Virginis. I. P.
19. S. Ludovici Epiſcopi, Conf. I. P.
25. S. Ludovici Regis Conf.

SEPTEMBRIS.

4. Translatio S. Roſæ Viterb. Virg. I. P.
8. Nativitas B. Mariæ Virginis. I. P.
17. Impreſſio SS. Stigmatum in corpore S. P. N. Franciſci. I. P.
28. S. Elzearij Confeſſ.

OCTOBRIS.

2. Translatio S. Claræ Virg.
4. Feſtum S. P. N. Franciſci. I. P.
13. SS. Danielis & Soc M. M. I. P.
19. S. Petri de Alcantara Conf. I. P.

23. S. Joannis Capiſtrani Conf. *I. P.*
27. S. Ivonis Confeſſoris.

NOVEMBRIS.

1. Feſtum omnium Sanctorum. *I. P.*
10. Translatio S. Ludovici Ep. Conf.
12. S. Didaci Confeſſionis. *I. P.*
17. B Salomææ Virg.
19 S. Eliſabeth Vid. Reg Ung. *I. P.*
26. Feſtum omnium Sanctorum totius Ordinis Seraphici.

DECEMBRIS.

8. Feſtum Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis. *I. P.*
25. Nativitas D N. JESU Chriſti. *I. P.*
Feſtum Patroni ſeu Tituli, & Dedicationis Eccleſiæ.

ADMONITIO
Ad Conviatorem Franciſcanum.

Secundùm antiquam Ordinis conſuetudinem, & Statuta Generalia Barchinonenſia c. 9. §. unico. n. 6.

n.6. *Officium pro Defunctis Fratribus, Sororibus & Benefactoribus: Et pro ſepultis in noſtris Cœmeterijs, ter in anno ſolenniter celebretur, ſcilicet:*

1. *Feria 2. poſt Dominicam Septuageſimæ.*
2. *Proxima die ante Feſtum S. Mariæ Magdalenæ.*
3. *Proxima die ante Feſtum S. Michaelis Archangeli.*

Simile Officium fiat pro Defunctis parentibus omnium Fratrum noſtrorum, ultima die feriali ante Adventum, oratio: Deus, qui nos Patrem & Matrem &c.

Pro quolibet dictorum officiorum Sacerdotes ſinguli Miſſam legent: Clerici recitabunt Vigilias novem Lectionum: Laici verò dicent centum Pater noſter & *totidem* Ave Maria.

Infra

Infra octavam S. P. N. Franciſci pro Benefactoribus, Fratres noſtros itinerantes hoſpitio recipientibus, ſingulis annis in honorem ipſius Sancti approprietur Miſſa Conventualis unîus diei, & una privata à quolibet Sacerdote infra eandem octavam, à quolibet Clerico quinquaginta Pſalmi, & à quolibet Laico centum Pater noſter, & Ave Maria.

†

Omnia ad Majorem DEI, B. Mariæ Virginis, S. Franciſci, omniumq́ue Sanctorum honorem & gloriam.

INDEX

INDEX

Totius Libelli.

Ingreſſus viæ Franciſcanæ.

INitium & progreſſus Ord. S. P. Franciſci. pag. 9.
Regula S. P. Franciſci. 23.
Teſtamentum S. P. Franciſci. 43.
Summarium præceptorũ Regulæ. 52.
Forma Profeſſionis. 62.
Oratio pro renovanda Profeſſione. 63.
Verba exhortatoria S. P. Franciſci ad Fratres. 65.
Maledictio S. P. Franciſci. 66.
Sententiæ notabiles S. P. Franciſci. 67.
Sententiæ notabiles S. Bernardini Senen. 71.

SEMITA I.

Preces matutinæ. 74.
Pactum coram DEO. 80.
Pactum majus ſingulis ſeptimanis renovandum. 81.
Ad B. V. Mariam. 83.

Ad S.

Ad S. Angelum Cuſtodem. 85.
Ad SS. Patronos. 86.
Pro Defunctis. 87.
Actus præcipuarum virtutum. 88.

SEMITA II.

Pſalmi Pœnitentiales. 93.
Litaniæ omnium Sanctorum. 111.
Orationes ante Confeſſionem. 126.
Actus Contritionis. 129.
Poſt Confeſſionem. 132.
Propoſitum emendationis. 137.
Ad B. V. Mariam. 140.
Oratio Sacerdotis ante adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ. 144.
Poſt adminiſtrationem. 146.

SEMITA III.

Præparatio ad Miſſam. 147.
Orationes ante Miſſam. 159.
Oratio S. Bonaventuræ. 161.
Ad B. V. Mariam. 163.
Ad SS. Patronos. ibid.
Ad Sanctum vel Sanctam, cujus Feſtum celebratur. 164.

Efficax

Efficax intentio celebrantis. 165.
Oblatio ſpecialis pro Defunctis. 173.
Oratio S. Bonaventuræ ante Miſſam vel Communionem. 175.
Oratio S. Thomæ Aquinatis. 178.
Gratiarum actio poſt Miſſam. 180.
Oratio poſt Miſſam. 183.
Ad B. Virginem. 185.
Ad SS. Patronos. 187.
Ad Sanctum vel Sanctam, cujus Feſtum celebratur. ibid.
Oratio pro Defunctis. 188.
Quinq; puncta ante vel poſt Miſſam recitanda. 189.
Oratio S. Bonaventuræ poſt Miſſã. 191.
Oratio S. Thomæ Aquinatis. 193.
Ad B. Virginem. 195.
Praxis devota ſalutandi Venerabile Sacramentum Altaris. 196.
Laus SS. Sacramenti. 199.
Litaniæ de Venerab. Sacramento. 201.
Tres orationes pro lucrandis Indulgentiis. 207.

SEMI-

SEMITA IV.

Litaniæ ad SS. Trinitatem. 211.

Litaniæ de SS. Nomine JESU. 217.

Oratio ad SS. Nomen JESU. 222.

Invocatio SS. Nominis JESU. 223.

Oratio de articulis Paſſionis. 225.

Oratio S. Bonaventuræ. 227.

Ad Chriſtum in Cruce. ibid.

Tres gratiarum actiones. 229.

Litaniæ de Spiritu ſancto. 231.

SEMITA V.

Litaniæ Lauretanæ B. V. Mariæ. 237.

Officium parvum de immaculata Conceptione B. V. Mariæ. 242.

Devota Salutatio B. Mariæ Virginis. 255.

Cælicum Ave Maria. 256.

Jubilus Marianus. 257.

Tres petiones ad B. V. Mariam. ibid.

Corona aurea B. V. Mariæ. 259.

Invitatio B. V. Mariæ ad ſui obitũ. 269.

Tria Ave B. Mechtildis pro felici fine. 272.

SEMI-

SEMITA VI.

Litaniæ de S. Angelo Cuſtode. 274.
Officium S. Angeli Cuſtodis. 277.
Proteſtationes S. Caroli Borromæi coram S. Angelo Cuſtode pro felici morte. 286.

SEMITA VII.

Litaniæ de S. Joſepho. 292.
Hymnodia de S. Joſepho. 294.
Commendatio ad S. Joſephum. 298.
Officium de S. Joſepho. ibid.

SEMITA VIII.

Litaniæ de S. Matre Anna. 306.
Rythmus de S. Anna. 309.
Orationes ad S. Joachimum. 311.
Ad S. Annam. 312.
Oratio ad ambos. 313.
Devota ſalutatio ad eoſdem. 314.

SEMITA IX.

Litaniæ de S. P. N. Franciſco. 315.
Salutatio ad S. Patrem. 319.
Oratio de vulneribus Jeſu Chriſti, & B. P. Franciſci. 320.

Pro

Pro adjutorio ad S. Patrem. 324.
Officium de S. P. N. Franciſco. 325.

SEMITA X.

Litaniæ de S. Antonio Paduano. 333.
Reſponſorium S. Bonaventuræ ad S. Antonium. 338.
Pius affectus ad S. Antonium. 339.
Officium de S. Antonio Paduano. 342.
Reſponſor. S. Petri de Alcantara. 349.

SEMITA XI.

Benedictio menſæ ordinaria. 351.
A Nativitate Domini uſq; ad Vigiliam Epiphaniæ excluſivè. 357.
In Epiphania & per Octavam. 359.
Feria V. in Cœna Domini. 362.
In Paraſceve. ibid.
Sabbato Sancto. 363.
In die Paſchæ uſq; ad Cœnam ſequentis Sabbathi. ibid.
In Aſcenſione Domini. 367.
In Pentecoſte à Vigilia ejuſdem uſq; ad Cœnam ſequentis Sabbathi excluſivè. 369.

SEMITA XII.

Preces Veſpertinæ. 371.

Quinque puncta Exercitij Veſpertini. 372.

Teſtamentum Chriſtiani hominis. 375.

Commendatio ad Deum. 378.

Commendatio ad dulciſſimum Cor JESU. 379.

Ad B. V. Mariam. 380.

Ad S. Angelum Cuſtodem. 381.

Ad SS. Patronos. ibid.

Pro Defunctis. 382.

Benedictio. 383.

Appendix diverſorum.

FINIS.

MAG 2012759

Digitized by Google